

36  
BIBLIOTHECA  
SCRIPTORIJM MEDII RECENTISQUE AEVORUM  
I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS  
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

---

SAECULA XVI—XVII.

---

NICOLAUS ISTVANFFY

CARMINA

EDIDERUNT

IOSEPHUS HOLUB ET LADISLAUS JUHÁSZ

---

MCMXXXV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER



BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM  
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS  
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XVI—XVII.

NICOLAUS ISTVANFFY

CARMINA

EDIDERUNT  
IOSEPHUS HOLUB ET LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Jq. kot

114. 943



EXCUSEBAT LEOPOLDUS BARTOS, SZEGED (HUNGARIA).

## INTRODUCTIO.

### I. De vita et scriptis Nicolai Istvanffy.<sup>1</sup>

*Vita.* Nicolaus Istvanffy e nobili vetereque familia Hungarica ortus est. Avus eius Stephanus filius Iohannis vicecomitis de Baranya fuit, qui temporibus Matthiae Corvini (1458—90.) et Wladislai II. (1490—1516.) regum domi militiaeque excellebat et anno 1508. ministris aulae liberorum regalium praefectus est. Cum filium *Paulum* natu minimum ad munus sacerdotale destinasset, a. 1515. ad studia per testamentum 200 florenos et torquem 200 florenos valentem ei legavit. Patre mortuo Paulus Patavium se contulit ibique artibus liberalibus iurisque disciplinae duodecim annos (circa annos 1518—28.) operam navavit.<sup>2</sup> In patriam reversus primum cum rege Iohanne de Zapolya, eo mortuo cum rege Ferdinando stetit. Cum Turcae a. 1543. magna parte regionis Transdanubianae potiti sunt, Paulus tunc officio vicecomitis in comitatu Baranya fungens extorris cum coniuge Hedviga Gyulay liberisque in oppidum Sziget commigravit, ubi cura arcis administrandae ei a rege commissa est. Variis mandatis feliciter fideliterque confectis assessor sedis iudiciariae regiae nominatus, mox (anno 1547.) in numerum consiliariorum regis ascitus est, quo munere Posonii in consilio locumtenentis regis usque ad a. 1553, quo mortuus est, fungebatur. Versus facere iam Patavii incepit; duo eius carmina Latina ibi scripta panegyrico cuidam Iani Pannonii Bononiae a. 1522. typis excuso annexa leguntur;<sup>3</sup> exstat insuper carmen Latinum in vexillum hastae sepulcralis tumulo Stephani — qui filius fratris Iohannis erat — a. 1544. a Thoma Nadasdy Danubio suffocati destinatae compositum.<sup>4</sup> A. 1539., cum nuptiae regis Iohannis celebrabantur, fabellam Petrarcae Romanensem de Gualthero et Griseldi scriptam (De obedientia ac fide uxoria mythologia) versibus Hungaricis reddidit. In bibliotheca eius asservabatur exemplar priorum triginta librorum Historiarum Bonfinii, quod a. 1543. typis expressum est.

*Nicolaus* noster die 8. mensis Decembris a. 1538. in pago Kisasszonyfalva in comitatu Baranya natus est. Puerulus quattuor annorum a. 1543. una cum parentibus castellum avitum deserere coactus nonnullos annos in oppido Sziget degebat; posthac a patre ad discendos mores politiores litterarumque elementa in aulam Petri Varday archiepiscopi Strigoniensis missus est, quo mortuo a. 1549. Nicolaus Olahus tunc episcopus Agriensis eum assumpsit et anno 1551. (vel 1552.) ad studia persequenda Patavium misit. A. 1553. se studiis medicinae daturus eodem venit Iohannes Sambucus quoque, vir ille doctissimus litterarumque humaniorum celeberrimus cultor, qui studiis Istvanffy et Georgii Bona, quem avunculus Olahus mense Maio a. 1552. eodem misit, iussu eiusdem praeerat. A. 1556. per Venetias domum reversus Musis ad tempus valedicens Marti se addixit et in arce Sziget duce Nicolao Zrinyi clarissimo illo heroe prima militiae rudimenta posuit.

<sup>1</sup> De vita et operibus Nicolai et Pauli Istvanffy copiosius scripserunt: Th. Balasffy (ed. G. Pray, *Annales regum Hungariae*, t. IV., Vindobonae, 1767. pag. 5—6.) — A. Hieratus in epistola sua dedicatoria ad Petrum Pazmany data et Historiis sumptibus suis editis praemissa. Coloniae Agrippinae, 1622. — J. Szinnyei, *Magyar írók élete és munkái*. (Id est: De vita et operibus scriptorum Hungarorum.) Tom. V. Budapest, 1897. De Nicolao col. 199—202., de Paulo col. 202—03. — J. Holub, *A Kisasszonyfalvi Istvánffy-család*. (Id est: De familia Istvanffy de Kisasszonyfalva.) In ephemeride Turul, tom. XXVII., 1909. — J. Holub, *Istvánffy Miklós Históriaja hadtörténelmi szempontból*. (Id est: De rebus ad rem militarem in Historiis Nicolai Istvanffy pertinentibus.) Szekszárd, 1909., pag. 13—44. — J. Holub, *Istvánffy Pál*. (Id est: De Paulo Istvanffy.) In libro *Békési-Emlékkönyv*. Budapest, 1912., pag. 222—37. — Fl. Holik, *Istvánffy Miklós mint költő*. (Id est: De poeta Nicolao Istvanffy.) In ephemeride Irodalomtörténeti Közlemények, tom. XXXII., 1922. pag. 140—46.

<sup>2</sup> V. carm. 7. append. vers. 9—12.

<sup>3</sup> Carm. 1. et 2. append.

<sup>4</sup> Carm. 3. append.

A. 1558. suo eximio fautori Olaho se adiungit secretarii munere fungens, quo adiuvante anno proximo notarius cancellariae factus decem annos apud eum, qui et cancellarius regis erat, usque ad a. 1568., quo ille mortuus est, permansit. Quo anno uxorem duxit Elisabetham Both et in cancellaria ad gradum secretarii processit. Munere tam egregie functus est, ut a. 1578. consiliarius regis, a. vero 1581. propalatinus (i. e. vacante dignitate palatinali locumtenens palatini in iudiciis) a rege dictus, anno autem insequenti in comitiis ab ordinibus unanimo consensu declaratus sit. Eodem tempore rex Rudolphus eum una cum fratre Stephano in numerum baronum ascripsit.

A. 1588. cum aliis delectis viris Hungaris et Austriacis in Poloniam missus, ut Maximilianum archiducem e captivitate liberarent, a prima die a. 1590. tribus mensibus in civitate Bitomiae (Beuthen) hac re tractanda consumptis tandem exeunte mense Martio domum reversus est. Qua occasione etiam Cracoviam et Czenstochoviam adiit.

A. 1592. post quinque tranquilla lustra denuo exortae sunt inimicitiae cum Turcis, cum bassa Bosnensis in Croatiam irrupisset; toto fere hoc anno, sicut ipse scribit, in castris erat. Anno proximo cum impetu Sinan bassae exarsit longum illud bellum (a. 1593—1606.), cuius ille omnibus fere expeditionibus maioribus — licet paene sexagenarius — non sine secunda militiae fama intererat.

A. 1598. inter delectos viros erat, quibus mandatum est, ut Transilvaniam a principe Sigismundo Bathory nomine regis Rudolphi acciperent. Cum filio unico Paulo trium annorum a. 1581. amisso saepius frustra a rege petivisset, ut filias veros et legitimos heredes masculinos crearet, rebus Transilvanicis nimium laboriosis et arduis egregie obitis Rudolphus rex eximia eius merita honoraturus hanc gratiam ei filiabusque libenter concessit; praeterea eum ianitorum regalum magistrum nominavit.

In comitiis a. 1608., cum diadema capiti regis Matthiae impositum est, post tam longum intervallum ab ordinibus iterum palatinus electus est. Inter candidatos ne mentio quidem nominis Istvanffy facta est, quoniam a. 1603. adversus leges litteras sententiales contra Stephanum Illeshazy edidit. Sive hac ipsa re sive propterea, quod Illeshazy palatinus electus iniuriam vindicare velle fama ferebatur, vehementer excitatus subita paraplexia tactus est. Reliquos vitae annos in arce sua Vinicze (in comitatu Varasdiensi) peregit, ubi primo Aprilis a. 1615. vita functus est. Libros suos magna ex parte domui societatis Iesu Zagrabienensi legavit, qui nunc ex parte in Bibliotheca Universitatis Scientiarum Budapestinensis asservantur.

Poemata Latina iam Patavii iuvenis circa quindecim annorum una cum Georgio Bona Sambuco usus magistro<sup>5</sup> condere coepit; Musis, ut e carminibus, quorum maximam partem intra annos 1561. et 1571. composuit, patet, posterius quoque addictissimus mansit. Summa familiaritate coniunctus erat cum Stephano Radetio canonico Strigoniensi, postea episcopo Agriensi et praeposito Poseniensi neque locumtenente regis et praefecto camerae Hungaricae († 1585. Posenii), qui et ipse non ultimus vatum et candidus censor carminum eius erat. Radetius amicissime amplectebatur eos, qui litteris humanioribus se impendebant, quibuscum in horto suo Poseniensi, ubi tiliam quandam Apollini vatum coetu assistente piorum consecravit, vatum comitante caterva confabulando deambulare solebat. Cuius coronae colloquentium socios praeter Istvanffy admisit Sambucum, qui ab a. 1564. Viennae commorabatur et Nicasium Ellebodum Casletanum Belgam (1577.) et Georgium Purchyrrhium (Purkircher; 1530—1578.), qui duo posteriores Posenii artem medicinam exercebant et viri perfecte planeque eruditi Graecis et Latinis litteris erant.<sup>6</sup>

Postea admodum raro Camenis usus esse videtur. Praeter aliquot epithaphia duo tantum carmina occasione legationis suae Polonicae Bitomiae

<sup>5</sup> Cum enim cognita omni syllabarum varietate atque versuum adeo generibus de vestro mihi iam quiddam offerre coeperitis, hac voluntate vobis accomodata in hoc ipso cursu retinendos esse vos censui et, me Hercule, excitandos (Dedicatio Sambuci ad Georgium Bona et Nicolaum Istvanffy: Poemata quaedam Ioannis Sambuci. Patavii, 1555. V. inter editiones editionem s.)

<sup>6</sup> V. carm. 51., v. 43—45.

scripta exstant. Sed litterae humaniores elegantioresque semper ei cordi erant; a 1591. a Clusio (Ch. de l'Escluse) herbarum illo peritissimo tunc Francofurti ad Moenum degente, quocum epistolarum commercium habebat, opera Heliodori et Achillis Tatii sibi mitti rogavit. („Si Latini non erunt, — scribit — etiam Graecos mitti cupio“.)

Res Hungaricas scribere ad a. 1590. aggressus est. Ab excessu Matthiae regis (a. 1490) exorsus a. 1608. iam ad annum 1606 pervenit, cum, ut supra diximus, scribendi facultate paralyti dexterae corporis partis orbatus opus absolvere ultimamque ei manum apponere non potuit et res gestas ab a. 1606. usque ad a. 1613. paucis dumtaxat verbis (in libris XXXV—XXXVIII.) complexus est.

*Opera.* Historiarum de rebus Ungaricis libri XXXIV. Coloniae Agrippinae, 1622. (Ibid. 1685., 1722., Viennae, 1758). — De sigillis regis Hungariae. (Pray, G.: Syntagma historicum de sigillis. Budae, 1805. pp. 73—75). — Carmina.

## II. De codicibus et editionibus carminum Nicolai Istvanffy.

### a) Codices.

A<sup>7</sup> — Budapest, Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae. Sign. M. Irod. Írók. 4-r. 241/II. — Saec. XVI—XVII. — Chart. — Cod. autogr. Nicolai Istvanffy. — Codicem I. Kukuljevic a. 1860. Bibliothecae Academiae Scientiarum Hungaricae donavit.<sup>8</sup> Manuscripto continentur carmina 1—61. in foliis 3r—74r; folia 1—2. carmina<sup>9</sup> aliorum ab ipso poeta descripta et varias adnotationes et carmen 62. (fol. 2r) continent. Carmina 2—3. conscripta sunt. Post carmen 15. Graecus textus quoque inscriptus est (fol. 39r). Post carmen 54 carmen 14. appendicis invenitur (fol. 67v). In fol. 69r carmen quoddam Ioannis Leonis Mutinensis a. 1528. scriptum invenitur. — In foliis 75r—85r nomina veterum Romanorum alia manu conscripta et variae adnotationes aliis manibus ascriptae inveniuntur. Folia 85v—86r varias adnotationes partim a Nicolao Istvanffy scriptas continent, inter quas invenitur (fol. 85v) carmen 11. appendicis (fol. 85v) et carmen 63. (fol. 86r) ambo manu Nicolai Istvanffy scripta.

E — Budapest, Egyetemi Könyvtár (Bibliotheca Universitatis). Sign. H. 46. — Saec. XVI. — Chart. — Codex e 235 foliis constat et e compluribus fasciculis compactus carmina Nicolai Olahi et maximam partem carmina ad Nicolaum Olahum scripta continet; singuli fasciculi dedicatorii erant et postea in bibliotheca Collegii Tirmaviensis Societatis Iesu inscripti erant. Qui codex duo carmina Nicolai Istvanffy ad Nicolaum Olahum scripta continet; 6.: 143r—v; 1.: 149v—163v et 203r—204r (scilicet codex male compactus est). Huic codici tres versus (266., unus e versibus 616—17. et 653.), qui in codice A inveniuntur, desunt.

F — Templum pagi Felbár (Baar) in comitatu Pozsony. — Lapis Falconis memoriae inscriptus (carmen 56.) in laevo navis templi muro a laeva altaris Sanctae Mariae collocatus invenitur.

M<sup>10</sup> — Budapest, Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici. Sign. 774 Fol. Hung. — Saec. XIX. — Chart. — Unicum folium descriptionem monu-

<sup>7</sup> Ex hoc codice Holub (Istvánffy Miklós Históriaja, o. c. p. 34.) carmen 60. et Holik (o. c. p. 145—46.) carmina 9. et 23. et 26. et 31. et 49. edidit.

<sup>8</sup> Pesti Napló acta diurna a. 1860. die 17. m. Aprilis, num. 90—3055. pag. innum. 2—3.; I. Kukuljevic complures codices manuscriptos Hungaricos et Latinos Bibliothecae Academiae Scientiarum Hungaricae dono dedisse memoratur. — I. Kukuljevic, Knjizevnici u Hrvatah s ove strane Velebita, zivivsi u prvoj polovini XVII. vieka. In ephemeride Arkiv za povjestnicu jugoslavensku, U Zagrebu, tom. IX., 1868., pag. 189.

<sup>9</sup> Inter haec carmina sine poetae nomine quoddam (fol. 2r) invenitur, quod fortasse Nicolai Istvanffy est:

Delle hominum vitam plus, quam, Heraclite, solesbas,  
In lachrymas totos solve, age, nunc oculos;  
Concute maiori splenem, Democrite, risu,  
Et toto resonans ore cachinnus hiet;  
Vita fuit nunquam post condita secula mundi  
Et risu pariter dignior et lachrymis.

<sup>10</sup> Ex hoc codice inscriptionem monumenti sepulchralis carmine omisso edidit Holub (o. c. p. 43.).

menti sepulchri continet, quod descriptor ipse in templo pagi Vinicze invenit: carmen 60. (fol. 1v) cum titulo (fol. 1r).

Z<sup>11</sup> — Zayugróc, Archivum comitum Zay. — Epistola autographa Hungarice scripta Pauli Istvanffy adiecto carmine 3. appendicis signatura ad C. nro 53. asservatur, quae ad Franciscum Zay de Chemer missa est.

#### b) Editiones.

q<sup>12</sup> — 1522., Bononiae. — Ioannis Pannonii episcopi Quinque Ecclesiensis, poetae et oratoris clarissimi panegyricus Iacobo Antonio Marcello patritio Veneto. Colophon: Hieronymus de Benedictis Bononiae imprimebat... 1522. Quae editio continet carmina 1. et 2. appendicis, et quidem carmen 1. in fol. Piir—v (pag. innum. 115—16.) et carmen 2. in fol. Piiv (pag. innum. 116.).

k<sup>13</sup> — 1553., Viennae Austriae. — Epitaphium clarissimi viri nobilitate generis, virtute et eruditione praestantissimi domini Pauli Istvanffy a Kys-azzonfalva, sacrae regiae maiestatis consilarii, scriptum a Francisco Theu-ke. Viennae Austriae excudebat Michael Zimmermannius anno 1553.<sup>14</sup> Editione continentur carmina 4—9. appendicis, et quidem carmen 9., cui praecedebat imago insignium Pauli Istvanffy: <sup>15</sup> 1v; carmen 4.: 2r; carmen 5.: 2r—v; carmen 6.: 2v; carmen 7.: 2v—5r; carmen 8.: 5r—v.

s<sup>10</sup> — 1555., Patavii. — Poemata quaedam Ioannis Sambuci Tirnaviensis Fannonii Patavii conscripta. Patavii, Gratosus Perchacinus excudebat 1555. Quae editio Georgio Bona et Nicolao Istvanffy Patavii Kalendis Februarii a. 1525. dedicata est. Quod ad paginam tituli attinet, duo exemplaria inveniuntur; et quidem appositio anno 1555. et sine anno, cum et typi litterarum differant. Ambae editiones rarae in Bayer. Staatsbibliothek München (apposito anno: 4-o P. o. Lat 615.; sine anno: 4-o P. o. Lat. 614.) inveniri possunt. — Quae editio continet carmina 65. (fol. 9v) et 65. (fol. 10v).

n<sup>17</sup> — 1555., Patavii. — Nili patris sancti et archiepiscopi Constantino-politani illius misericordis oratio ad deum contra barbarorum incursiones, bella intestina, pestem, famem et mortis vim praesentem Ioanne Sambuco Pannonio Tirnaviensi interprete. Patavii. — Dedicatio Nicolao Olaho archiepiscopo Strigoniensi scripta Patavii Calendis Augusti a. 1555. data est. — Editio continet carmen 66. (fol. innum. 5v).

o<sup>18</sup> — 1558., Viennae Austriae. — Breviarium secundum usum almae et metropolitanae ecclesiae Strigoniensis in promotionem divini cultus et ministerii denuo impensis reverendissimi domini Nicolai Olahi eiusdem ecclesiae archiepiscopi impressum per Raphaelem Hoffhalter. Viennae Austriae, anno MDLVIII. — Fol. innum. 1v titulo De effigie reverendissimi domini domini Nicolai Olahi archiepiscopi ecclesiae Strigoniensis dignissimi; carmina Nicolai Olahi et Georgii Bonae et Sebastiani Listhii et Nicolai Istvanffy: 67. — Opus satis rarum in Museo Nationali Hungarico (Budapest) invenitur.

b<sup>10</sup> — 1560., Patavii. — Ioan. Sambuci Pan. oratio in obitu generosi ac magnifici adolescentis Georgii Bona Transylvani domini in Landsehr

<sup>11</sup> Quam epistolam carmen 3. appendicis continentem nec K. Thaly nec nos videre potuimus. Thaly e descriptione Ludovici Balogh epistolam una cum carmine et aliis documentis ad Stephanum Istvanffy attinentibus primum edidit: Istvánffy István sirverse, temetése és hagyatéka, 1545. (Id. est: De epitaphio, sepultura et legatis Stephani Istvanffy, 1545.) in Ephemeride Századok, 1875. pag. 202—11. Carmen 3. appendicis in pag. 205. invenitur. Carmen, ut conferretur, nos ipsi frustra conabamur.

<sup>12</sup> K. Szabó—A. Hellebrant, Régi Magyar Könyvtár (id est: Vetus Bibliotheca Hungarica). Tom. III. num. 250. — Editio admodum rara in Bibliotheca comitis Alexandri Apponyi (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici) invenitur. — Ex hac editione carmina 1. et 2. appendicis in libris, qui Iani Pannonii opusculorum pars altera (Traiecti ad Rhenum, 1784.) pag. 281—82. et Eug. Abel—St. Hegedüs, Analecta nova ad historiam renaissance in Hungaria litterarum spectantia (Budapestini, 1903.) pag. 493., iterum et tertium edita sunt.

<sup>13</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 412. — Editio rara Vindobonae in Bibliotheca Nationali sign. 17. L. 243. asservatur. — Versus 9—40. et 61—64. et 85—96. ex hac editione iterum editi sunt Abel—Hegedüs o. c. p. 506—08.

<sup>14</sup> Cuius editionis titulum phototypice editum vide Holub, Istvánffy Pál, o. c. p. 225.

<sup>15</sup> Fol. 1v huius editionis imaginem insignium et carmen 8. appendicis continens phototypice editum vide ibidem, p. 227.

<sup>16</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 430.

<sup>17</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 429.

<sup>18</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 447.

<sup>19</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 477.

et Laknpach etc., qui mortuus est V. Septemb. anni 1559. Addita sunt in fine doctissimorum aliquot virorum epitaphia Graeca et Latina. Patavii, Grattiosus Perchacinus excudebat, 1560. — Orationem Sambucus Nicolao Olahczasar Patavio Calendis Octob. 1559. dedicavit. Carmina titulo Epigrammata funebria in mortem Georgii Bona Michael Sophianus et Ioannes Camerarius et Nicolaus Istvanffy (carmen 68.: fol. 13v) et Andreas Duditiuss et Ioannes Sambucus scripserunt. — Editio admodum rara in Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae (Budapest) invenitur.

p<sup>20</sup> — 1561., Parisiis. — Orationes duae funebres Ioan. Sambuci Tirnaviensis (sic) Pannonii. Cum doctissimorum aetatis nostrae virorum epistolis eiusdem argumenti atque epigrammatis Graecis et Latinis. Parisiis, apud Aegidium Gorbinum sub insigne spei prope Collegium Cameracense, 1561. — Orationes funebres de Georgio Bona et barone Iacobo Stubenberg habitae sunt. — Quae editio, quod ad Georgium Bonam attinet, paene eadem editioni b est. In fol. Diiiv—Diiiii carmen 68. invenitur. — Editio perrara in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae, Budapest) invenitur. — Qui libellus ut Appendix libri, qui De imitatione Ciceroniana dialogi tres autore Ioan. Sambuco Tirnaviensi Pannonio, eiusdem duae orationes funebres cum doctissimorum aetatis nostrae virorum epistolis aliquot eiusdem argumenti et epigrammatis Graecis et Latinis, Parisiis, apud Aegidium Gorbinum sub insigne spei prope Collegium Cameracense, 1561.<sup>21</sup> (item in Bibliotheca Georgii Ráth et in Bibliotheca comitis Alexandri Apponyi [in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici] asservatus invenitur) inscribitur, in lucem prodit.

e<sup>22</sup> — 1566., Antverpiae. — Emblemata et aliquot nummi antiqui operis Ioannis Sambuci Tirnaviensis Pannonii. Altera editio. Cum emendatione et auctuario copioso ipsius auctoris. Antverpiae, ex officina Chr. Plantini. 1566. Cum privilegio. Editio continet carmen 10. appendicis; inter titulum (Cedendum, sed non adulandum. Ad Nicolaum Istvanffy) et carmen emblemata leonem et duos homines et simiam describens invenitur, et quidem in pag. 165.

e<sup>23</sup> — 1569., ibidem. — Idem. Tertia editio. Carmen una cum emblemate in pag. 178. invenitur.

e<sup>24</sup> — 1576., ibidem. — Idem. Quarta editio. . . Ex officina Christophori Plantini architypographi regii. Carmen cum emblemate in pag. 178. invenitur.

e<sup>25</sup> — 1583., ibidem. — Idem. Quarta editio. . . Apud Christophorum Plantinum. Carmen et emblemata in pag. 178. invenitur.

e<sup>26</sup> — 1599., Lugduni Batavorum. — Idem. Quarta editio. . . Ex officina Plantiniana, apud Christophor. Raphael. Academiae Lugduno-Bat. typographum. 1599. Carmen cum emblemate in pag. 178. reperitur.

f<sup>27</sup> — 1567., A Anvers. — Les Emblemes du Seigneur Iehan Sambucus. Traduits de Latin en Francois. A Anvers. De l'imprimerie de Christophe Plantin. 1567. Avec privilege. Qui liber continet carmina editionis e<sub>1</sub> in Franco-Gallicum versa. Carmen 10. a) appendicis una cum emblemate in pag. 191—92. invenitur. In praefatione (pag. 3—6.) legimus Plantinum versionem a quodam nomine non nominato faciendam curavisse.

<sup>20</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 488.

<sup>21</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 487.

<sup>22</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 545. — Exemplar rarum in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici reperitur. Quorum emblematum editio prima, quae inscribitur Emblemata cum aliquot nummis antiqui operis Ioannis Sambuci Tirnaviensis Pannonii, Antverpiae, ex officina Christophori Plantini, 1564., cum privilegio (Szabó—Hellebrant o. c. num. 526. satis rara exemplaria in Bibliothecis Musei Nationalis Hungarici et Academiae Scientiarum Hungaricae inveniuntur), carmen 10. appendicis non continet.

<sup>23</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 584. Editio admodum rara in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici invenitur.

<sup>24</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 648. Editio rara in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae) asservatur.

<sup>25</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 726. Editio admodum rara in Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae reperitur.

<sup>26</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 930. Exemplaria huius editionis in Bibliothecis Musei Nationalis Hungarici et Academiae Scientiarum Hungaricae inveniuntur.

<sup>27</sup> Szabó—Hellebrant o. c. num. 554. Editio valde rara in Bibliotheca comitis Alexandri Apponyi (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici) invenitur.



v — 1736, Viennae Austriae. — Matthias Bel, *Notitia Hungariae novae historico-geographica*, tom. II. p. 247. invenitur carmen 56.

t — 1750., Viennae Austriae. [Michael Bonbadius,] *Topographia magni regni Hungariae olim a quodam Societatis Iesu sacerdote conscripta, nunc studio cuiusdam ex eadem societate sacerdotis emendata et aucta*. In pag. 352. invenitur carmen 56.

h — 1767., Vindobonae. — Georgius Pray, *Annales regum Hungariae*. Pars IV. 1767. — Carmina 12. et 13. appendicis in pag. 6. edita sunt.

w — 1859., Wien. — Arnold Ipolyi-Stummer, *Beschreibung der Bau-denkmale der Insel Schütt (Csallóköz) in Ungarn*. In pag. 12. carmen 56. invenitur.

i — 1883., Budapest. — I. Nagy, *A kisasszonyfalvi Istvánffyak, in ephemeride Turul*. In pag. 114. carmen 56. et in pag. 115. inscriptio monumenti sepulchri omisso carmine 60.

## NICOLAUS ISTVANFFY

### CARMINA

#### 1. *Panegyricus*

*ad Nicolaum Olahum archiepiscopum Strigoniensem.*

*(Calendis Ianuarii, 1564., Tirnaviae.)*

#### PRAEFATIO.

- En iterum Iani festae illuxere Calendae,  
Quas modo pro ducibus fertilis annus habet.  
Nunc tibi diversi latis de finibus orbis  
Certatim cupidis dona ferunt manibus.  
Ast ego Pieridum nuper digressus in hortos  
Pauca tibi Aonio carmina fonte tuli  
Et, quoniam, dixi, non est mihi divitis auri  
Copia nec magnis munera digna viris,  
Haec expressa meo pro donis carmina mittam  
<sup>10</sup> Nicolao, laudes queis legat ipse suas  
Incultumque pio defendat nomine vatem,  
Ut quondam antiquo tempore Thuscus eques  
Aonidum sacrique fovens Heliconis alumnos  
Traditur ad seros concelebrasse rogos.  
<sup>15</sup> Quicquid id est igitur, seu tanto praesule dignum  
Condimus et factis equiparanda tuis  
Seu minus, ut certe minus, at nunc munera laetus  
Parva cape et caeptis duxque comesque veni  
Ac cymbam primis tentantem caerula velis  
Ne patiare altis mergier aequoribus.  
Tyndarides mihi sis Castor, quo navita viso  
Oceani scopulos despicit et fragilem  
Dirigit intrepidus per iniqua Ceraunia puppim  
Ac patrium illaesus gaudet adire solum.  
Hoc, age, praesta, heros, sic longa in secula vivas,  
Sic longo Pyllos tempore vince dies.

#### PANEGYRICUS.

Hoc, Nicolae, tuas percurrere carmine laudes  
Aggrediar, licet ancipiti mea Musa labore  
Territa vix oneri potis est superesse futuro.  
Tu mihi seu patrias felix moderaris habenas  
Sive iter ad superos pandis populumque rebellem

- Arguis aeternamque doces sperare salutem,  
 Si tibi curarum moles dant otia, magnus  
 Dum Caesar leges Germana per oppida ponit  
 Et tibi Pannoniae commisit sceptrata regenda,  
 10 Huc ades et tenues non aspernare Camaenas  
 Nec vatem insolitos ausum tentare labores  
 Desere, sed timidis felix allabere caeptis.  
 Sic tibi perpetuum vitae mansurus in aevum  
 Certet honos maneatque locus in sede piorum  
 Et vaga sublimi contingas sidera fama.  
 Vos etiam, Aonides et carminis autor Apollo,  
 Aspirate mihi et tantas in carmine vires  
 Sufficite, ut caeptum valeam percurrere munus.  
 An vero gentis laudemque decusque vetustae  
 20 Claraque maiorum referam monumenta tuorum,  
 Queis olim indomitique Dacae gens aspera bello  
 Truxque Geta et Latiis deducta colonia ab agris  
 Paruit et lato tellus contermina Ponto  
 Dives opum pecorisque ferax, qua maximus Ister  
 In mare caeruleum prono delabitur amne.  
 Quin etiam insignis bello Mavortius heros  
 Hunniades miserae quondam columenque decusque  
 Pannoniae et validis Turcarum terror in armis,  
 Hunniades nulli veterum virtute secundus  
 30 Sanguine teque genusque tuum decoravit avito.  
 Illius egregiam virtutem et fortia gesta  
 Barbaricae toties natorum in funere matres  
 Saucia debilibus laniantes unguibus ora  
 Ac toties aegris viduatae civibus urbes  
 Altaque prostratis senserunt oppida muris.  
 Adde tot eversas arces, tot parta trophaea  
 Totque triumphatos reges pugnataque bella.  
 Nam veluti in siccis quando Vulcanus aristas  
 Incidit et late flaventes pascitur agros,  
 40 Non illum agricolae, non densi ex aethere nimbi  
 Nec rivi in mediis possunt extinguere sulcis.  
 Hostiles sic ille acies, sic agmina quondam  
 Obvia funesto prostrabat Turcica Marte.  
 O, quam saepe suas aegreolvebat arenas  
 45 Danubius pater, ingentes cum stragis acervos  
 Ederet et tepido permixtis sanguine lymphis  
 Vix tandem aequoreas cursum inveniebat in undas.  
 Atque, licet tanta ducas ab origine nomen,  
 Inclyte Maecenas, ut tantum tertius haeres  
 50 A magno sis Hunniade (namque illius olim  
 Dia soror specie Nymphis aequata Marina  
 Edidit hasce tuum genitorem in luminis auras),  
 Te tamen haud veteris laudes vel gloria stirpis,

Sed proprii dotes animi, sed fervida virtus  
 Maximaque in cunctis semper constantia rebus  
 Extollunt famamque tuam inter nubila condunt.  
 Utque solet Phaebo concedere pallida Luna  
 Vel quantam Lunae concesserit Hesperus aureae  
 Aut quantum serus vincit reliqua Hesperus astra,  
 60 Sic tua laus pietasque alios, quos nostra tulerunt  
 Secula, praeteriit, tuus inter caetera fulget  
 Et reliquos longe splendor supereminet omnes.

Nam, simul ac laetae superi tibi dona iuventae  
 Afflurant, nunquam segnes inglorius annos  
 65 Ducere, sed priscos virtute aequare parentes  
 Macte animo et magnis caepisti incumbere rebus,  
 Ut, cum olim serum tua vita relinqueret aevum,  
 Fama tamen pietasque invita morte superstes  
 Viveret atque virum semper volitaret in ore.  
 Hocque modo ingenti Musarum incensus amore,  
 Quae post exequias et dirae funera mortis  
 Magnanimum heroum praestantia facta per orbem  
 Venturis solae possunt transmittere seclis,  
 Saepe deas Phaebumque pio es veneratus honore  
 Plurima sacratis suspendens vota sacellis.  
 Nec frustra, nam Pierides te lenibus ulnis  
 Exceptum viridi cinxerunt tempora lauro  
 Naturaeque vices et divum arcana reperta  
 Tellurisque marisque vias caelique meatus  
 Monstrantes Aganippeis statuere sub antris.  
 Ex illo tibi mens nullarum est nescia rerum,  
 Unde tremor validis munitas turribus urbes  
 Concutiat, densa cur pulsent grandine terras  
 Caelicolae abruptosque petant cur fulmina montes  
 Aut quae vis agitet vasti tumida aequora ponti  
 Pallidaque ut cedat ferventi Cynthia Phaebo  
 Vel cur, hybernus celeres cum Phaebus in Austrum  
 Flexit equos nostroque remotius ivit ab orbe,  
 Bruma riget sylvasque comis ac gramine campos  
 Et vaga iucundo spoliavit flumina cursu;  
 Idem ubi flaventis graditur per signa leonis,  
 Bruma abiit sylvasque comis ac gramine campos  
 Et vaga iucundo decoravit flumina cursu,  
 Affuit ipsa etiam proles Iovis alma Minerva  
 Atque suas artes tibi tunc donavit habere,  
 Facundas artes, hominum queis pectora fando  
 Flectere et exortos valeas compescere motus.

Cumque tuae virtutis honos et fama decusque  
 Didita longinquas passim ferretur in oras,  
 100 Praestantes animi dotes et mentis acumen  
 Miratam perhibent Mariam te ex ordine cuncto

- Arcanis voluisse suis adiungere, quae tum  
 Magnanimo regi Ludovico iuncta marito  
 Et centum Hesperiiis late comitata deabus  
 105 Pannoniae fines Mavortia regna tenebat,  
 Quae seu montivagos cursu per devia cervos  
 Seu pavidas ageret longa in venabula damas  
 Informesque ursos aut aprum dente ferocem  
 Saltibus in densis certo prosterneret ictu  
 110 Seu medias prodiret ovans regina per urbes  
 Subiectos laeta populos in pace gubernans,  
 Tu semper fidus lateri comes ire solebas  
 Non curas fugiens, non duros mille labores.  
 Interea ultrices dirae volventibus annis  
 115 Tisiphoneque atrox Ditisque immania monstra  
 Pannones in miseros arma ardentisque tumultus  
 Excivere lacu Stygio pestemque famemque  
 Horribilesque necēs clademque cruentaue bella.  
 Et primum agrestis — dictu miserabile — pubes.  
 120 Posthabitis ferrum in dominos acuebat aratris  
 Arma fremens arma ingeminans et dira malorum  
 Supplicia ac caedes longo per compita tractu  
 Edebat fusoque rubebant sanguine campi.  
 Non erat, assuetis qui pingua rura iuventus  
 Aut humilem pronō molliret vomere terram  
 Vel qui demeteret flaventes messor aristas  
 Maturamque cadis inferret vinitor uvam.  
 Neve quid intactum in nostros fera numina luctus.  
 Negligerent, Solymanum Erebi de sedibus ortum  
 130 Mahometi genus infidum, quod numina divum  
 Nulla colit, nullo superos veneratur honore,  
 Monstrum ingens, crudele et diris saevius hydrys,  
 Nostram in perniciem rigido armavere furore.  
 Is ope barbarica Hyrcanis Lyciisque pharetris  
 135 Mygdonioque arcu et populis comitatus Eois  
 Ac nigros Arabes et te, maris accola Rubri,  
 Aethiopum atque Asiae vires longinquaue secum  
 Bactra vehens saevis vastabat Pannones armis,  
 Pannones in miseros bella execranda ciebat,  
 140 Cum quo congressus fatis Ludovicus iniquis,  
 Dum totis arcere cupit conatibus hostem  
 (Proh superum pietatem!), ipso sub flore iuventae-  
 Concidit atque animam truculento Marte profudit  
 Egregiam fossaque (nefas) submersus in alta est  
 145 Infelix et sorte nimis confisus iniqua  
 Illum Danubiiue deae Dravique puellae  
 Vicinaeque Alpes, illum vaga flumina Savi  
 Fleverunt, illum sparsis per colla capillis.  
 Naidēs et celeris ripae flevēre Tibisci.



- 150 Ante diem indigna miserantes caede peremptum.  
 Dii maris et terrae, tuque, o sanctissima virgo,  
 Quae sine connubio atque tui sine labe pudoris  
 Caelicolum regem divumque hominumque parentem  
 Flaminis afflatu sancti has in luminis auras  
 155 Eduxti, decus o caeli clarissima Nympha,  
 Cuius Pannonia est patrio sub numine, tuque,  
 Rex Stephane aeterno quondam gratissime regi,  
 Cur vestra infandos gens est perpessa dolores?  
 Quid misera emeruit tantum? quae causa ferinam  
 160 Barbariem et praedas ac tristia ferre coegit  
 Funera curve animis tantae caelestibus irae?  
 At regina super dilecti morte mariti  
 Fracta metu et trepido confestim exterrita casu  
 Flavescentes laniata comas vultumque decorum  
 165 Unguibus et palmis pectus percussa pudicum  
 Implevit clamore domos et questibus auras  
 Totaque faemineo resonabant atria luctu.  
 Ah, quoties largis humectans imbribus ora  
 Crebraque flebilibus miscens lamenta querelis  
 170 Frigidulam voluit quam primum abrumpere vitam.  
 Ah, quoties planctu et longo devicta dolore  
 Crudeles superos et sidera saeva vocavit,  
 Sidera, quae dulcem merita nec morte maritum  
 Abstulerant, cuius chara saturare figura  
 175 Necdum animumque suum et languentia lumina quisset.  
 Non secus aerea socium flet turtur ab ulmo,  
 Quem pastor iaculo fixit crudelis acuto;  
 Non puras iam libat aquas nec fronde recenti  
 Insidet et viridi nunquam spatium in herba,  
 180 Maesta sed in siccis iterans miserabile carmen  
 Frondibus amissos gemitu suspirat amores.  
 Ac veluti in densis ramorum Daulias umbris  
 Amissi queritur furtiva pericula faetus,  
 Quos genitrix clam in sepositis absconderat antris,  
 185 Sed rapiens nido implumes ferus abstulit auceps.  
 Sic regina suum deplorans tristis amantem  
 Pallidulo crebros singultus ore ciebat.  
 Non illam serae longo post tempore vitae  
 Aspexere hilarem aut thalamo procedere pictis  
 190 Vestibus aut Tyrio saturata murice palla,  
 Sed tantum nigro velatam semper amictu  
 Coniugium abruptum noctes lugere diesque.  
 Ast illam externatam animi fatisque coactam  
 Gaudia iucundi subito dimittere amoris,  
 195 Solari atque improvisum lenire dolorem  
 Tentabat tua mansuetis facundia dictis:  
 Quid pateris, regina? quid isto pectora luctu

- Conficere et longo iuvat indulgere dolori?  
 Pone modum lachrymis et te ad meliora reserva,  
 200 Nam, simulac duri ventum est ad limina Ditis  
 Et semel atrocis clauduntur regna tyranni,  
 Non illinc revocare gradum aut ad luminis auras  
 Posse redire datur, nullo reserabilis aevo  
 Ianua stat, non, si tercentum altaria donis  
 Accumules largoque deos venereris honore.  
 Tunc lachrymae et questus frustra volvuntur inanes.  
 Tunc querulo incassum funduntur verba labello,  
 Illa leves etenim rapiunt per inania venti,  
 Flectitur et nostris nunquam mors surda querelis.  
 210 Aspice, ut infernas Syrix semel ivit ad umbras,  
 Quamvis Nympha foret magno gratissima Pani,  
 Non tamen Arcadiae Pan hanc revocavit ad oras.  
 Nec tu, quadrigis Phaethon detruse paternis,  
 Fletibus Heliadum es superas revocatus ad auras,  
 215 Caelesti quamvis fueras de stirpe creatus.  
 Ut primum maerens cerva Cyparissus adempta  
 Trans Stygias est vectus aquas, quid Delius illi  
 Paeoniis succis et odoris profuit herbis,  
 Quique olim Rhodopes quercus et saxa ferasque  
 Et vitreum cytharae dulcedine moverat Hebrum,  
 Non potuit rigidos cytharae dulcedine manes  
 Flectere et Eurydicen vitae revocare sub auras,  
 Dilectam nimis Eurydicen miserabilis Orpheus?  
 Caetera quid memorem? expertem terroris Achillem,  
 Squalidus ut dira traiecit navita cymba,  
 An genitrix Thetis an Neptunine Galatea  
 Oceanusque pater rigida de morte redemit?  
 Scilicet his cessit fatis Telamonius Aiax  
 Visque Neoptolemi et virtus patientis Ulyssi  
 230 Et gemini Atridae et Danaum fortissimus heros  
 Tydidesque Menoetiadesque et Martius Hector  
 Atque alii, quorum si nomina cuncta referrem,  
 Ante pater longum Phaebus componeret annum.  
 His aegram alloquiis Mariam, Nicolae, disertis  
 235 Mulcebas simulans vultuque oculisque dolorem.  
 Postquam igitur fletum satis est et funera rite  
 Exequiasque pio iuveni regina peregit  
 In templis, vetus Alba, tuis de more parentum  
 Et patrio imposuit corpus exangue sepulchro,  
 240 Incessit nova cura animo decedere terris  
 Pannoniae longeque remotas quaerere terras,  
 Quo neque barbaricae possint penetrare phalanges.  
 Neu muris inclusa truci premeretur ab hoste  
 Semiferique minas ferret captiva tyranni  
 245 Seu secura mali et crebri secura tumultus

Transigeret viduam tranquilla in pace senectam.  
Ergo Belgarum longinquas itur in oras,  
Quo pater undarum Oceanus Septemque Triones  
Centum amplas mulcent urbes et maenia centum,  
Maenia, quae placida gaudent segura quiete  
Grataque pacatis traducunt otia rebus,  
Hincque suis cingit vaga fluctibus Amphitrite  
Atque illinc altos ostentat Gallia montes  
Occiduisque ferox undis apparet Iberus  
Et longe extremo positi procul orbe Britanni.  
Tu quoque tunc socius casus assumptus in omnes  
Pannoniae fines et dulcia deseris arva  
Perque nives pluviasque et mille incommoda rerum  
Sive levi campis curru veheretur in altis  
260 Anxia seu strictas Alpes et dura viarum  
Cornipede in niveo incessu superare vel altis  
Fluminibus mallet pictas inducere classes,  
Illius externum sequeris vestigia in orbem.

An memorem, ut magna huc illuc mandata ferendo  
Sithoniasque nives glaciemque et frigora densa  
Caurumque Boreamque Lycaoniasque procellas  
Pertuleris rapidosque ardenti in sole calores,  
Cum procul a patria, procul a natalibus arvis  
Te reges bello insignes populique ducesque  
Fata recensentem patriae et sermone diserto  
Poscentem auxilia ac divos in vota vocantem  
Attentis animis atque auribus obstupueri.

An magis armorum strepitum et certamina verbis  
Marta, Caesareo et victos sub fasce rebelles

275 Prosequar, invitum ut te et tristia bella perosum  
Bellona in varios protruserit effera casus.  
Nec tamen in medio versantem turbine rerum  
Argutasque tubas inter lituosque sonantes  
Obliviscenti dulces e mente Camaenas

280 Delere atque alias animo succedere curas  
Impulerit, tua nam nullo vis fracta labore  
Aonides sanctumque colens ante omnia Phaebum  
Suspexit cantumque illis et carmina finxit,  
Carmina, quae nunquam ventura redarguat aetas,  
Carmina non ullis unquam interitura diebus.  
Sic tua non Belgis tantum, sed tempore parvo  
Fama etiam extremis tam clare innotuit oris,  
Ut te doctorum celeberrima turba virorum  
Mansuris longum optaret subtexere chartis

290 Atque tuum ad seros nomen transferre nepotes.  
Ipse etiam veterum solers imitator Erasmus,  
Belgica quo tellus nimium se iactat alumno,  
Te coluit, tibi multa suis praeconia scriptis

- Detulit, aeternos quae sunt mansura per annos  
 295 Et quae prisca legant docti per secula vates.  
 At tibi, dum patriis procul a penetralibus absens  
 Naturaeque vices et divum arcana reperta  
 Tellurisque marisque vias caelique meatus  
 Miraris penitusque animo interiore reponis,  
 300 lucundum fratrem dirae abripuere sorores  
 Matthaëum, cum quo spes et tua gaudia cuncta  
 Rapta simul iacuerunt. Quis illo in tempore luctus  
 Et lachrymas questusque tuos, suspiria fletumque  
 Explicet aut altos fraterna in morte dolores?  
 305 Quin etiam tristes elegi, tua carmina Phaëbo  
 Digna, quibus miseri lugas dispendia casus,  
 Quem non ad lachrymas et tristia vota resolvant?  
 Non homines illis tantum flexisse Camaenis  
 Mite piūque genus, sed sylvas, saxa, volucres  
 310 Diceris ac duras altis in montibus ornos  
 Auritosque vagis lepores iunxisse Molossis.  
 Qualis Threicius chara pro coniuge vates  
 Traditur obscuri crudelia limina Ditis  
 Eumenidesque feras Erebi que horrentia monstra  
 315 Persephonemque ipsam et mansuescere nescia corda  
 Insuetis mulsisse sonis, quando ore trifauci  
 Cerberus invisae custos obmutuit aulae;  
 Nec maestum horribili tremefecit voce maritum,  
 Tunc Tityum vultur rostro non laesit adunco,  
 320 Tunc etiam expletas tenuerunt Belides urnas  
 Et rota sustinuit laceros Ixionis artus  
 Ac vatem exangues animae stupuere canentem;  
 Ipsae etiam orantis flebant pia carmina Parcae  
 Annuerantque levem dilectae coniugis umbram,  
 325 Posse iterum dulces vitae remeare sub auras;  
 Iamque viri certa vestigia lege secutam  
 Infelix respexit amans ac protinus illam  
 Perdidit, heu, nimium voto frustratus inani  
 Ter voluit miseram amplexu comprehendere stricto,  
 330 Ter levis amplexus avidos effugit imago  
 Tardior haud Zephyris tenuique simillima fumo.  
 Sed iam quindenos orbes sol aureus alto  
 Volvebat caelo et toties sua signa remensus  
 Attulerat longos aegris mortalibus annos,  
 335 Quando tibi haud patriae immemori Iove missus ab alto  
 Astitit et tali est Cyllenius ore loquutus:  
 Quae tibi sollicito surgit sententia corde  
 Quidve paras tam longa terens his otia terris?  
 Immo, age, flecte viam causasque relinque morandi  
 340 Pannoniamque tuam et patrii vaga flumina laetus  
 Respice Danubii; non hic tibi numina divum,

- Verum illic faustos promittit Iuppiter annos.  
 Illic te celebris et duratura per aevum  
 Fama manet, quae summa tuum sub sidera nomen  
 Evehet et magnos titulis augebit honores.  
 Sic ait et celeri fugit per inane volatu.  
 Continuo his divum monitis accensa tibi mens  
 Optavit patriae dulces invisere terras  
 Danubiumque patrem et lato loca iuncta Tibisco  
 350 Vitiferosque Dravi colles Savique fluenta.  
 Ergo revertenti Rhenus velocibus undis  
 Et Batavi veteres et Belgica rura recedunt  
 Ac quae tellurem longis amplexa lacertis  
 Insonat occiduis mugitibus Amphitrite  
 355 Quaeque gerit cinctum nebulis caput alta Pyrene  
 Vindelicaeque Alpes et duri frigora Rheni  
 Linquuntur. Iuvat ad patrios rediisse penates  
 Templaque et aeriis spectandas turribus arces  
 Conspicere atque amplas urbes et pingua culta,  
 360 Pingua nec Cereris nec muneris indiga Bacchi.  
 Mille tibi tacitam tentabant gaudia mentem,  
 Cum foret ante oculos optatae lucis imago,  
 Qua patriae fines faecundaque rura videres.  
 Non secus Ionio quam fessi in marmore nautae  
 365 Incertasque diu pandentes vela per undas,  
 Postquam altis patrium littus tetigere carinis,  
 Laetitia exultant et terris oscula figunt  
 Optatis puppesque recenti fronde coronant,  
 Iucundus iuvenum plausu vicina resultant  
 370 Littora, dat sonitum longe Iovis avia sylva:  
 Sic tu iam patriis gaudebas redditus oris  
 Declarans hilari laetantia pectora vultu.  
 Protinus ad regem veloci nuncia cursu  
 Fama tui reditus passim diffusa cucurrit  
 375 Fernandum virtute animi et praestantibus ausis  
 Egregium regem fama ultra sidera notum,  
 Qui nunc Pannonicis Romanum adiecit habenis  
 Imperium magnumque regit virtutibus orbem.  
 Dii faciant, longos etiam post imperet annos  
 380 Subque illo tandem victus longeque fugatus  
 Concidat et superis meritas det sanguine paenas  
 Mahumetes Scythicasque iterum fugitiva latebras  
 Gens infida petat, toto Pax aurea mundo  
 Floreat et laeto volitans Victoria plausu  
 385 Candidaque ad nostros iterum Concordia fines  
 Et Probitas et, quae terras, Astraea, reliquit,  
 Iam redeat, procul abscedant, procul effera bella,  
 Impius atque atrum Mavors claudatur in Orcum  
 Nec fera praecipiti concurrant agmina motu

Neve nimis largo pinguescant arva cruore,  
 Talia sed nostros tandem miserata labores  
 Numina Turcarum populis generique reservent.

Ut vero te virtutes pietasque fidesque  
 Magnanimo regi commendavere, quibus te  
 395 Unigena ornavit proles Iovis inclita Pallas  
 Atque suum pulchrae Charites tribuere decorem  
 Et quibus effulges, ceu puro sidera caelo,  
 Continuo divum templis sacrisque regendis  
 Te vetus et turrita suum Zagrabia cepit  
 400 Pontificem ac placidam cinxit prima infula frontem.  
 Quid loquar, Illyricas ut tunc defenderis oras  
 Et loca. quae glauco Savus celer amne pererrat  
 Atque impacatae circumdant undique gentes,  
 Hinc arces Rhesi populi, saevi inde Triballi,  
 405 Quique per Adriacum pandunt mare vela, Liburni  
 Itala non longo spectantes littora tractu  
 Et bellis fortem Ausoniam antiquosque Quirites.  
 Tempore nulla tuo cessere hostilibus armis  
 Oppida nec captas evertit barbarus arces.  
 410 Immo etiam celebres truculento ex hoste triumphos  
 Et spolia ac praedas animosus miles ademit  
 Signaque nunc sacris etiam pendentia templis,  
 Barbaricas olim quae ductavere catervas.

Postquam autem signis virtus exempla secundis  
 415 Certa dedit caepitque tuum elucescere nomen,  
 Auspiciis divis celsa tibi sede locato  
 Obtigit imperiumque tuum suscepit ovando  
 Agria Pannonicis ceu murus aeneus oris,  
 Agria fertilibus campis et clara Lyaei  
 Munere, clara viris atque ausis clara virorum.  
 Et, cum tantarum subiisses pondera rerum,  
 Quis populi plausus illapsaque sensibus imis  
 Gaudia mortali quis posset dicere lingua?  
 Spes erat antiquas iterum te principe vires  
 425 Pannoniae et veterem gentis rediisse decorem  
 Postque tot exilia et tantos cum morte dolores  
 Extinctis tandem placide requiescere bellis  
 Et pacem viridi velatam tempora fronde  
 Venturam extremas Libyae Europaeque per oras.  
 430 Invidit tamen haec nobis iusta ira deorum.  
 Namque ferox animo et scelerata accensus ad arma  
 Mahometi sanguis Asiae dominator opimae  
 Agriacas arces numeroso milite saevus  
 Cinxit et in latis fixit tentoria campis  
 435 Tot populos in bella ferens, quot abundat arenis  
 Ister et obscura quot sidera nocte relucent  
 Aut quanti irato volvuntur in aequore fluctus

- Et quot ver placidum flores, quot messis aristas,  
 Bruma nives, quot habet gravidas vindemia vites.
- 440 Illic Aethiopum vires, Aurora, tuorum  
 Et fuscis Arabes fortunatasque Canopi  
 Cernere erat gentes et qui vaga flumina Nili  
 Quique Tigrim Euphratemque bibunt atque alta Niphatae:  
 Culmina et Armenios habitant prope flumina saltus
- 445 Quaeque suum Memphis etiam nunc plangit Osirim.  
 Vidimus et parvi domitorem ruris Isaurum  
 Et rapti assuetum Cilicem Numidasque feroces  
 Carmanumque equitem et sitientes vidimus Afros  
 Excidium in nostrum paribus concurrere votis.
- 450 Quin etiam pictis Lycii venere pharetris  
 Cappadoecesque feri et quos rigat altus Araxes  
 Quique tuas spectant densas, Pamphylia, sylvas,  
 Getuli Maurique duces, quos lustra ferarum  
 Praecipue et rabidos dumosa ad tesqua leones
- 455 Scrutari iuvat et curvis prosternere telis.  
 Illuc thuriferis Panchaia pinguis ab oris  
 Armatas acies longinqua in praelia misit  
 Et coniuratae descendit miles Idumes  
 Et Cares Lelegesque sagittiferique Geloni
- 460 Idem habuit fervor Libyam, Garamantes et Indos  
 Extremosque hominum Morinos et Cyzicon et quos  
 Phrixus populos amplectitur Hellespontus;  
 Tu quoque Graiorum fortunatissima quondam  
 Terra viris armisque potens faecundaque bellis,
- 465 At nunc (heu, sortem miserandam, heu, tristia fata!)  
 Barbaricis late regio subiecta tyrannis.  
 Vel qua tellurem vel qua tumidum aspicias aequor,  
 Haec compulsa tuas iunxisti in bella phalanges.  
 Atque aliae innumerae latis de finibus orbis
- 470 Convenere acies, quarum si nomina gentemque  
 Armaque militiaeque velit quis signa referre,  
 Idem etiam aestatis flores hyemisque procellas  
 Explicet autumnique imbres et gramina veris  
 Sylvarumque leves frondes et littoris undas
- 475 Astraque fixa polo et radios numerabit Olympi.  
 Iamque tot inter se collectae in praelia turmae  
 Obsidione tuas cingebant, Agria, turres  
 Quassantes muros et ab imo maenia fundo  
 Eruere armatis certantes undique pilis.
- 480 Aenea quin etiam horrifico tormenta ruebant  
 Impete, sulphureis quae concita fulminis instar  
 Pulveribus densas penetrabant murmure nubes  
 Implebantque cavum nigra caligine caelum  
 Altaque concussis in propugnacula muris  
 Praecipitesve globos et ferrea pila ferebant



- Multa virum saevo sternerentia corpora leto.  
 At tu, quos rigidus summis incluserat hostis  
 Arcibus et fidos acri obsidione premebat,  
 Solari ac dictis pavidum lenire timorem  
 490 Protinus auxiliisque animos accendere certis  
 Et meliora brevi a divis sperare iubebas.  
 Ipse autem divum sacris operatus et altum  
 Illachrymans gemitumque ino sub pectore volvens  
 Tendebas supplex palmas regemque deorum  
 495 Talibus orabas pia circum altaria votis:  
 Maxime caelicolum pater et dominator Olympi,  
 Qui pedibus Phaebumque premis Lunamque bicornem  
 Astraque sidereo circumlucentia caelo,  
 Cuius dextra potens et terras frugiferentes  
 500 Aequoraque et magnum quicquid per inane movetur,  
 Condidit et solo moderatur condita nutu,  
 Quem tremimus, cui festivos celebramus honores,  
 Tempia per et fuis colimus solemnia votis,  
 Aspice, ne nostras pigeat te audire querelas.  
 505 Cernis, ut immineat nostris cervicibus hostis  
 Barbarus et latos implevit sanguine campos  
 Innocuo captasque furens everterit campos,  
 Nec modo Pannonicas tantum subvertere saevus  
 Tentet opes, sed te latum quicumque per orbem  
 510 Rite colit, quicumque tuis fert mystica sacris  
 Orgia confiditque tui sub nomine nati?  
 Quid querar abductis desertas civibus urbes  
 Et viduata suis passim cultoribus arva  
 Disiectasque domos funestisque eruta flammis  
 515 Horrea, protritas segetes ac pingua culta  
 Praecipitesque fugam dudum petiisse colonos  
 Sylvarumque altis sese occultasse latebris  
 Et per inaccessas rupes perque invia montis  
 Lustra vagabundos ritu vixisse ferarum  
 520 Glande famem pluviaque sitim restinguere suetos?  
 Pars quoque iam nostri maculatos caede penates  
 Et iugulata atro conspersit limina tabo  
 Ante Lares animam effundens hostilibus armis,  
 Pars longe a charis abducta penatibus hosti  
 525 Praeda fuit duramque tulit per colla catenam  
 Vel Libycum remis Hyrcanumque impulit aequor  
 Et dubiam incertis vitam consumpsit in undis  
 Pro tumultu pontum et fluctus sortita marinos  
 Vel timuit rigidos pascens armenta leones  
 530 Ac deploratam commutans morte iuventam  
 Dilacerata feris tandem fuit alitibusque  
 Esca nec est humili infelix tumultata sepulchro.  
 His adde abreptos genitricis ab ubere natos

- Et pia materno cunabula tincta cruore  
Virgineumque (nefas!) violatum his adde pudorem  
Atque prophanata hostili tua templa furore.  
Heu, scelus et faedo turpatas sanguine divum  
Effigies saevisque perustas ignibus aras.  
Praeterea infandas strages fuseumque cruorem  
540 Aerumnasque graves et tristia funera, quae nunc  
Perpetimur quondamque sumus dira omnia passi,  
Quis queat enumerare? An nostris angulus oris  
Ullus inest, qui non facinus crudele tyranni  
Saevaue pertulerit nociturae vulnera gentis?  
545 Atque adeo, si nos populi tua iussa colentes  
Vexando premerent, istas tolerasse ruinas  
Aequius o fuerat, sed nostros barbarus hostis  
Territat insultans fines nec qui tua novit  
Numina nec magnum votis veneratur Olympum  
Impius ac summos divum contemnit honores.  
Quare, age, si nostras nondum tibi perdere sedit  
Reliquias meliorque animo sententia surgit  
Nec penitus diris visum est succumbere bellis  
Pannoniam populosque tuos atque Hunnica regna,  
Huc ades et caelo tandem speculatus ab alto  
Aspice tantorumque pater miserere laborum.  
Sanguinis effusum satis est, sat longa superque  
Exilia et dirae tulimus ludibria gentis.  
Tu nostrum infando miserans caput eripe leto,  
Eripe, namque potes; merito luat omine paenas  
Hostis et obsessam linquens inglorius urbem  
Finibus excedat nostris; tua fulminet ardens  
Dextera; fac, miles spoliis Orientis onustus  
Gaudeat et victum trans littora Rubra repellat  
Barbariem celebretque tuas per secula laudes.  
Talibus orantem dictis placatus ab alto  
Audiit omnipotens nec mitibus abnuit orsis  
Et pavidum immittens Turcarum in corda timorem.  
Addidit audaces nostrorum in pectora vires.  
550 Tum vero nostri Turcas videre relictis  
Ire minis positoque fugam celerare furore  
Cum castris sociisque et semifero comitatu.  
Ipsa igitur precibusque tuis curaue fideli  
Agria barbaricae subducens colla catherinae  
Iam secura mali portis gaudebat apertis.  
Iam parte ex omni huc illuc effusa iuventus  
Laeta celebrabat pacato gaudia vultu  
Te laudans, Nicolae, tuumque ad sidera nomen  
Usque ferens, tibi perpetuos virtutis honores  
550 Et fortunatam cupiens longo ordine vitam.  
Pone aderat victor laetum Paean canendo

Miles et appposito curas hilarabat Iaccho.  
 Ipse etiam argutis resonabat vocibus aether.  
 Te sylvae virides, te vitiferae convalles  
 585 Reddebant, te sepositis in rupibus Echo  
 Et nemora et montes et flumina glauca sonabant.  
 Tu vero, ante quibus lachrymis votisque tonantem  
 Urgebas supplex, tanto maioribus auctus  
 Laetitiis cernens servatam a caedibus urbem  
 590 Delapsamque polo obsessis venisse salutem  
 Ingentes puro fundebas pectore grates  
 Caelicolis et multa adytis pia dona ferebas.  
 Sic tibi perpetuam dedit haec victoria laudem  
 Extremasque tuum vulgavit nomen in oras  
 595 Vel qua sol oriens revehit vaga lumina terris  
 Vel qua flammatos demergit in aequora currus.  
 Post etiam Augustus Caesar, qui sceptrum gubernat  
 Pannoniae imperioque alios supereminet omnes  
 Quique sacer Romana tenet Capitolia praesul,  
 Cui Tuscus Tiberis Tarpeiaque culmina parent  
 Et victrix colles submittit Roma Latinos  
 Concordes iunctisque animis tibi iura dederunt  
 Strigonii moderanda soli ritusque sacrorum  
 Tractandos, ingens vitreis ubi volvitur undis  
 605 Danubius celeremque suo Granum excipit alveo.  
 Quae tibi sceptrum tua insignis prudentia, virtus,  
 Nobilitas, altum ingenium probitasque fidesque  
 Ac constans pietatis amor verique cupido  
 Addidit et magnis longa experientia rebus.  
 610 Ipse videbatur solito maioribus undis  
 Ister in Euxini stagnantia claustra profundi  
 Volvere caeruleas magno cum murmure lymphas  
 Et circum ripas salientem aspergere rorem  
 Atque tuum propter laetari incrementum.  
 615 Vidisses etiam faciles per prata Napaeas  
 Ludere, tum Satyros Nymphasque et Oreades altis  
 Montibus agrestumque deos et Pana bicornem  
 Cantibus et placidis mentem indulgere choreis,  
 Ut quondam nudis illum saltasse Lupercis  
 Temporis antiqui memorat longaeva vetustas.  
 Sol quoque siderei decus immortale tonantis  
 Exoriens nitidum radios dispersit in orbem  
 Praesule te facto laetus nec nubila densis  
 Involvere diem tenebris, fugit illicet aura  
 Tristior et rapidi posuerunt flamina venti.  
 Et merito, nam quis tantis succedere sceptris  
 Vel melior nostris aut est praestantior oris,  
 Sive fidem in superos certam seu mentis acumen  
 Virtutesque velis animo spectare repostas.

- Nec se rege suo tantum Minoia regna  
 Dictaeaeque olim iactant centum oppida Cretes  
 Nec tantum Phaebo Rhodos aut Cythereide Cypros  
 Cecropiaeque arces innupta Pallade gaudent,  
 Quantum Strigonii laetatur te duce tellus  
 Seque iugo infidae tandem divellere gentis  
 Et rursus niveosque dies atque aurea secla  
 Te moderante suis optat splendescere templis.  
 Atque adeo quisnam caelestes aptius artes  
 Te docet excepto aut nostris te praeter in oris  
 640 Quis vigilat magis aut summi praecepta tonantis  
 Explicat atque piis eadem quoque comprobat actis.  
 Namque refers, quo certa salus mortalibus aegris  
 Sit speranda modo, quali mereamur Olympum  
 Sudore et divum sedes lustrare beatas  
 645 Hic, ubi perpetuos astrorum ventilat ignes  
 Omnipotens Solisque globum Lunaeque labores  
 Ostenditque piis vitam sine fine perennem.  
 Tu populos etiam nigro subducis Averno  
 Errantes, quos caecus amor novitatis et audax  
 650 Cura tenet veterum sprete pietate parentum  
 Ire per ignotas incerto tramite calles,  
 Nec ruere in praeceps pateris mutabile vulgus  
 Errabunda sacris moderans vestigia habenis,  
 Ne cadat et cupidus sectis fallacibus aures  
 Praebeat occultum sumens per membra venenum,  
 Lanigeras; ceu pastor, oves dum forte vagantes  
 Devia per scopulosque videt cursare per altos  
 Et pro fluminibus medicatas felle paludes  
 Limososque lacus saevam aut libare mephitim,  
 655 Ferre pedem ulterius prohibet manibusque bacillum  
 Corripiens iterum ad fluvios herbasque salubres  
 Pellit agens; totum fervet balatibus agmen,  
 Quin agri atque altae responsant undique sylvae:  
 Pastoris tacitum versant nova gaudia pectus.  
 665 Sic etiam frenata tuo plebs pendet ab ore  
 Et placidas edocta vias, quibus itur ad astra,  
 Triste scelus caecasque fugat de mente tenebras.  
 Sed quid ego primo digressus ab ordine cuncta  
 His numeris atque hoc amplecti carmine conor  
 670 Et magnum brevibus nomen subtexere chartis?  
 Non mihi, si cytharam magnus donaret Apollo  
 Threiciam, qua montivagas Oeagrius Orpheus  
 Mulcebat lynces aut quali pectine Arion  
 Extulit et mediis pressit delphinas in undis,  
 675 Insuper et centum fauces, centum adderet ora,  
 Ad laudes, Nicolae, tuas memorandaque facta  
 Sufficerent, non, si totos Helicone recluso

- Funderet in pectus latices Parnassia rupes  
 Dulciaque Aoniae dictarent carmina Musae,  
 Non ego, sed dignum potius tibi condere carmen  
 Radetius queat et tantum praestare laborem,  
 Ut tua apud seros celebretur fama minores.  
 Olli etenim vires alias dedit altus Apollo,  
 Olli flavicomae magis arrisere sorores,  
 Seu sit opus versu et iuncta certare palaestra  
 Seu libet ora sonis facunda aperire solutis.  
 Is referet melius, magno ut sub Caesare quondam  
 Videris armatum bello succumbere Gallum  
 Et coniuratae repressas terga cohortes  
 Vertere Saxoniae ac reparantem bella Boemum  
 Caesareo dare colla iugo, cum turbidus Albis  
 Purpureo tinxit rubicundas sanguine lymphas  
 Cornipedesque virosque occisaque corpora volvens,  
 Utque tibi partem curarum atque Humnica Caesar  
 Regna pius magno dederit moderanda labore.  
 Ceu quondam Herculeo torquendum caelifer Atlas  
 Tradidit axem humero cinctum fulgentibus astris.  
 Haec ego si canerem, tanto sub pondere quis me  
 Labentem iuvet aut valeat succurrere fesso?  
 Atque, licet tantis impar sim conditor actis  
 Nec mihi Calliope tantas in carmina vires  
 Aspiret, tua iucundis ut facta Camaenis  
 Dicere et innumeras possim percurrere laudes,  
 Non tamen in nostris quisquam te versibus ultro  
 Arguet indictum, nunquam tua facta recensens  
 Deficiam, quin, supremum cum volvere tempus  
 Fata mihi incipient et cassum lumine corpus  
 Terra parens teget, arenti te frigidus ore  
 Alloquar et moriens anima fugiente vocabo.
- 710 Post quoque, cum me mors violento funere raptum  
 Auferet Elysiisque vagus spatiabor in herbis,  
 Nulla tuum nobis tollent oblivia nomen  
 Nec laudes levis umbra tuas aut facta silebo.  
 At vos, o superi, si quid pia vota merentur,
- 715 Si vobis meritos sacravit Olahus honores,  
 Si castos etiam vatum non temnitis orsus,  
 Reddite, quae magnis precibus nec inania posco,  
 Reddite nec vacuas sinite evanescere in auras,  
 Scilicet ut fausto longas sub sidere luces
- 720 Transigat incolumis, Nympharum secula felix  
 Vincat Hamadryadum nec serae incommoda multa  
 Sentiat aetatis, quotiesque imbelle per artus  
 Irrepsit senium tremulaeque in corpore vires,  
 Vos illi rursum nitida florere iuventa  
 Membra date et vestris iterum iuvenescere donis

Et, quando Pylios vivens superaverit annos  
 Caelestique novus successerit indiges aulae,  
 Vos illum laetis delapsi ex aethere pennis  
 Accipite et nitidis fulgentem inferte sub astris.  
 Isthic mille suo ferat immortalia corde  
 Praemia et aeternum sublimi in sede tonantem  
 Aspiciat vestroque hilaris potiaturo Olympo.

## 2.

(10. Ianuarii, 1570., S. Michael.)

Πλοῦτε θεῶν κάλλιστε καὶ ἡμεροέστατε πάντων,  
 Σύν σοι καὶ κακὸς ὢν γίγνομαι ἐσθλὸς ἀνὴρ.

3. *Idem Latine.*

Optime cunctorum et pulcherrime Plute deorum,  
 Quamvis sim cunctis peior in orbe viris,  
 At, si tu mecum maneat mecumve quiescas,  
 Anteferar cunctis integritate viris.

4. *Ad Stephanum Radetium.*

(16. Martii, 1564., Posonii.)

Radeti pater elegantiarum  
 Atque idem pater omnium leporum,  
 Cui Phaebus cytharae canora plectra,  
 Minerva ingenium, Venus decorem,  
 Os Atlantides dedit disertum,  
 Haec, quae floridula mihi iuventa  
 Dictarunt Clariae novem sorores,  
 Tibi carmina mittimus, venuste  
 Radeti et bone Gratiarum alumne.  
<sup>10</sup> Quae licet minus eleganter vena  
 Nec pulchris numeris fluant nec ullum  
 Illis indicium haereat decoris,  
 Tamen pectore cum meo repostum,  
 Iucundissime amice, amore magno  
<sup>15</sup> Sic te amem, ut propriam puella matrem,  
 Et velim reliquos amare in annos.  
 Haec tu qualiacunque signa amoris  
 In te candiduli et boni sodalis  
 Sume, quae tibi si placere cernam,  
<sup>20</sup> Hoc cunctis ego rebus anteponam.

5. *Ad Ioannem Sambucum Tirnaviensem.*

(16. Augusti, 1564., Viennae.)

Sambuce optime, sic amate nobis,  
 Ut charam unica amat puella matrem  
 Et charam genitrix amat puellam,

Quo nunquam mihi charior per orbem  
 Ullus ante fuit nec est et, Hercle,  
 Venturis fore vix potest in annis.  
 Dum tu Pannoniae tuae supremos  
 Casus et dubii pericla Martis  
 Nec non Caesaris inclyti decora  
 10 Doctis bella paras referre chartis,  
 Doctis, Iuppiter, elegantibusque,  
 Me suspiria anhela vix trahentem  
 Morbi vis fera perculit nec ullis  
 Vexandi spatium remittit horis  
 15 Seram prorsus opem ferente nobis  
 Phaebo atque Aoniis novem deabus,  
 Quas, ut scis, teneris amavi ab annis.  
 At tu, cui faciles dii deaeque  
 Non tantum Latiae Atticaeque linguae  
 20 Aspirant decus elegantiamque,  
 Seu iuncto pede scribis aut soluto,  
 Sed virgo Iove nata Pallas artisque  
 Inventor medicae potens Apollo  
 Herbarum varias salubriorum  
 Vires nosse dedit trucesque morbos  
 Statim debilibus fugare membris,  
 Huc ades neque iam insolentiore  
 Extingui patiare me dolore,  
 Ne lembo ante diem feri Charontis  
 30 Manes umbra ferar levis sub imos.  
 Quod si nunc dabis hoc mihi impetratum,  
 Laudem quippe mereberis perennem,  
 Quam venturi etiam canant nepotes.

6. *Nicolao Olaho archiepiscopo Strigoniensi  
 nomine Mqthiae Almol.  
 (6. Octobris, 1564., Viennae.)*

Iam non vana cadens hyemis dat signa Bootes  
 Et brevior Phaebo fit properante dies,  
 Aestivi fugiunt soles et frigida sensim,  
 Non intellectis bruma venit pedibus.  
 5 Bruma venit placido spolians vaga flumina cursu  
 Prataque purpureis Daedala graminibus.  
 Iam pictae volucres abeunt, iam garrula Progne  
 Diversum externo quaerit in orbe locum,  
 Qua tempestates et nostri immitia caeli  
 10 Arceat a charis frigora pignoribus.  
 Heu, male iam tumido pendentur carbasa ponto,  
 Quum sint plena malis aequora naufragiis  
 Et pater emissis adaperto carcere nimbis  
 Hippotades toto saeviat Oceano,

- 15 Cum miser infido iactatus in aequore divum  
 Auxilium fuis nauta vocat precibus.  
 Iam venti antiquas violento turbine sylvas  
 Perflantes viridem diripere comam  
 Arboribus, tacet et lachrymarum oblita priorum  
 Daulias absumptum plangere cessat Ilym  
 Tunc iterum veteres integratura querelas,  
 Quando frondifero ver erit in nemore  
 Et, cum sub patulae recubantem tegmine quercus  
 Pastorem afflabit lene strepens Zephyrus,  
 Ille canet querulis demulcens versibus auras,  
 Donec eum veniens Nox iubet ire domum.  
 Ast ego qua fiam gelidis bene tutus ab Austris,  
 Tu mihi speratam protinus adfer opem.  
 Ut memor inde alios possim tibi condere versus,  
 30 Quos dictet vati Calliopea suo  
 Et faciat, tua sic virtus luceat in illis,  
 Ut micat in rutilo candida Luna polo.

7. *Ad Stephanum Radetium.*

(12. Octobris, 1564., Posonii.)

- O, illi male dii deaeque faxint  
 Ipsorumque pater deum et dearum,  
 Qui nunc me unanimem tuum sodalem  
 Iam tui cupidum tuique amantem,  
 5 Quam sui est cupidus puer parentis,  
 Invitum tibi et abnuentem ademit,  
 Ne curru veheremur una eodem,  
 Quo vecti ante simul simulque blanda  
 Mulcentes animum allocutione  
 10 Curas depulimus procul molestas.  
 Si tamen superi haud adhuc negabunt  
 Nos posse ad patrios Lares reverti,  
 Nemo te mihi separabit unquam,  
 Me nunquam tibi separabit ullus  
 15 Non, si Iuppiter id velit supremus  
 Aut si quid Iove maius est supremo.  
 At, qui nunc tibi me abnuentem ademit,  
 O, illi male dii deaeque faxint  
 Ipsorumque pater deum et dearum.

8. *Epitaphium Catarinae de Frangepanibus,  
 uxoris comitis de Zrinio.*

(11. Iunii, 1561.)

Hic Catarina iacet longa dignissima vita  
 Faemina, cui fracti dederant pia nomina panes,  
 Cuius honos nomenque fides sanctique pudoris  
 Egregium specimen terras penetraverat omnes,



Vel qua sol oritur vel qua se condit in undas,  
 Utque novum sidus caelo succederet alto.  
 Illius immites ruperunt stamina Parcae.  
 Te tua progenies coniunxque Serinius heros  
 Fleverunt tristes et cum gemitu lachrymisque  
 10 Hic tua marmoreo clauserunt membra sepulchro.

9. *Epitaphium Georgii Bonae,  
 nepotis archiepiscopi Strigoniensis.*

(3. Septembris, 1559.)

Te quoque iam primo gaudentem flore iuventae  
 Extinxit tristi funere acerba dies.  
 Aspera quod si nunc potuisses rumpere fata,  
 Gloria Pannoniae famaue prima fores.  
 5 Tecum rapta iacent spes et solatia nostra  
 Et moritur nostrum te moriente decus.  
 Flectere si superos probitas aut forma valeret,  
 Tu quoque perpetuum vivere dignus eras.  
 Sed, quia nec precibus mansuescere numina norunt,  
 10 Praepositum lachrymis nec remorantur iter,  
 Te iuvenem egregium primo sub flore iuventae  
 Crudeles nobis abripuere deae.

10. *Epitaphium Nicolai Desith  
 canonici Strigoniensis, Dalmatae.*

(18. Octobris, 1562.)

Terra parens, primos quoniam ex te ducimus ortus.  
 Atque tuo rursus condimur in gremio,  
 Desitium prima — sic dii voluere — iuventa  
 Extinctum molli conde benigna sinu  
 5 Et cineres tueare pios, at nescia mortis  
 Mens ad sidereas transeat alma domos.  
 Illic caelitibus magnoque adiuncta tonanti  
 Transigat aeternos tempus in omne dies.

11. *De Georgio Bydy et Balthasare Zalay.*

(1562., Viennae.)

Ut rosa, quae virides caput exerit inter acanthos,  
 Aestivae placidus dum cadit imber aquae,  
 Ac, velut irriguo florens hyacinthus in horto  
 Lucundo cunctos pascit odore homines,  
 Sic vos ingenium et formae praestantia vestrae  
 Altius e terrae sedibus extulerant,  
 Cum fera vos Lachesis iuvenilibus abstulit annis.  
 Vobiscumque omnes invida delicias  
 Atque, ut coniuncti magno vixistis amore,  
 10 Sic post fata etiam vos locus unus habet.

Dilectae, salвете, umbrae, aeternumque valete  
Terraque vos placido contegat alma sinu.

12. *Epitaphium Pauli Zarka.*

(1563., *Posonii.*)

Nec tibi funereis manibus mors atra pepercit,  
Paule, sed es campos raptus ad Elysios  
Ante diem charam linquens cum coniuge prolem,  
Quae sine te totos flet miseranda dies.  
15 Atque licet parva corpus tibi conditur urna,  
Fama sed invita morte superstes erit,  
Virtutes quae clara tuas animosaque gesta  
Eripiet leto et summa per astra feret.

13. *Epitaphium Ioannis Fekete*

*per Michaellem de Stenisniak sepulti.*

(13. *Octobris*, 1564., *Posonii.*)

Hic mihi Ioanni fatalia stamina Nigro  
Praesequit nigris invida mors manibus.  
Nulla mihi vivo sedes fuit una manendi  
Et certa in terris non erat ulla domus,  
At, postquam gremio me excepit terra benigno,  
Certa quies, certum contigit hospitium.  
Hic vero interea ut iacerem, concede, viator,  
Donec ad aethereas exciter inde domos.  
At tibi felices, Michael, det Iuppiter annos,  
10 Qui facis, ut certum possideam tumulum.

14. *Franciscus Naguathy loquitur.*

(14. *Octobris*, 1564., *Posonii.*)

Ut maestae extinctum flebant Phaethonta sorores,  
Qua fluviorum rex labitur Eridanus,  
Ac velut amissi Troiae sub maenibus altis  
Deflevit manes Laodamia viri,  
Haud aliter mihi post chari pia fata parentis  
Assiduis manant lumina lachrymulis.  
Interea tamen hoc illi de marmore bustum  
Non sine perpetuo constitui gemitu  
Et cineres posui charos, ut nec mihi prisca  
10 Venturo laudem tempore secla negent.

15. *Λεωνίδου.*

(*Anthol. Pal. VI. 334.*)

(14. *Octobris*, 1564., *Posonii.*)

Vos saepta ac rupes Nympharum sacra choreis  
Et fons e duro prosiliens lapide  
Vosque altae pinus magnique nepos Atlantis  
Et, qui in vicino, Pan, habitas scopulo,

- 3 Haec liba et veteri spumantia pocula Baccho  
Accipite Aeacidæ dona Neoptolemi.

16. *Lusus pastoralis.*

(17. Octobris 1564., Posonii.)

Defessus longaque senex ætate Palaemon  
Argutis longe notus arundinibus  
Has pedicas atque ista suæ instrumenta iuventæ,  
Queis olim incautas decipiebat aves,  
Dat nemorum Nymphis et cornigeris Satyriscis  
Addens muneribus hæc quoque vota suis:  
Iam tutæ ludant volucres per inane, Palaemon  
Tendet eis nullas amplius insidias.

17. *Idem.*

Chara Amarylli, tuo sic semper dulcis abundet  
Ore decor, sic sis Phyllide pulchra magis,  
Cras dum læta greges niveos ad pascua pelles,  
Huc, age, in amplexus curre benigna meos.  
5 Hic tibi ego auratamque colum et subtegmina servo,  
Quæ possent magnas flectere Hamadryadas.

18. *De fratre Francisco Zeghedino.*

(18. Octobris, 1564., Posonii.)

Dum pia Franciscum reserantem iura tonantis  
Audiit, hos sancto protulit ore sonos  
Religio: Heu, quanto fueram ante immersa barathro,  
Sed tu me densis eruis e tenebris.

19. *Lusus pastoralis.*

(19. Octobris, 1564., Posonii.)

Fons bone, qui scopulo praeceps decurris ab alto  
Lucidulamque levi murmure volvis aquam,  
Et vos, o coryli ripis superimpendentes  
Intonsisque virens sylva cacuminibus,  
5 Ipse suo hanc agnam vobis modo Thyrsis ovili  
Plenaque candenti cymbia lacte tulit.  
Si tamen amplexu charæ potietur Hyellæ,  
Si poterit primas carpere delicias,  
Non nunc, sed, quoties longum reparaverit annum.  
10 Cynthus, hæc eadem munera læta feret.

20. *Idem.*

(19. Octobris, 1564., Posonii.)

Vos venti, vos dilectæ Zephyritides auræ  
Et volucres densis abditæ in arboribus,

Dum mea florentes spatiat Lygda per agros,  
Monstrate haec croceis cingula pulchra notis  
Atque referte illi: Tuus haec tibi mittit Amyntas,  
Lygda, viden croceis cingula pulchra notis.  
Seu miserum his vinclis confestim strangula Amyntam  
Seu patiare suis flectier officiis.

21. *Idem.*

(23. Octobris, 1564., Posonii.)

Hoc speculum tibi ab urbe fero, pulcherrima Nisa,  
Hinc poteris faciem cernere lucidulam,  
Sed, tua de speculo dum praebet imago videndam,  
Cogita, ubi niveas Alphisiboeus oves  
Pascat, et ad dulces latebras, mea Nisa, venito  
Ac te ad vicinos currere finge greges.  
Post ego te tali donabo munere, ut ipsa,  
Si videat, pulchrum iuret id esse Pales.

22. *Idem.*

(23. Octobris, 1564., Posonii.)

Saevit atrox Boreas, nigro dum turbine terras  
Contristat, crebris saevit hyems nivibus,  
Saevit et irati, quoties tumet, aequoris unda,  
Et quoties summi fulminat aula Iovis.  
Saeva quidem sunt haec, at nostro in pectore longe est  
Saevior occultis ignibus Alcinoe.

23. *Idem.*

(8. Novembris, 1564., Posonii.)

Has ego materno ex horto violasque rosasque  
Albaque puniceis lilia mixta rosis,  
Chara Lycinna, meo decerpsi molliter ungui,  
Ut decorent flavas haec tibi sarta comas.  
Cernis, ut hos tenuis flores consperserit humor  
Utque levi calathus sit madefactus aqua?  
Has guttas si forte putas rorem esse, Lycinna,  
Falleris; ex oculis hae cecidere meis.

24. *Idem.*

(9. Novembris, 1564., Posonii.)

Gradive armipotens tuque, o Tritonia virgo,  
Quos penes est belli, pacis et arbitrium,  
Dux nivei Damon gregis et venator Iolas  
Ponimus ad vestros haec modo dona focos:  
Cornigerum Damon caprum, at venator Iolas,  
Quem nuper vasto vulnere fudit, aprum.

Vos procul a nostris arcete penatibus hostem  
 Et quaecunque ferox praelia miles habet,  
 Et facite, ut sylvis securus inerret lolas  
 10 Et tutos Damon pascat ubique greges.  
 Hinc vobis et nos, nostrorum et turba nepotum  
 Haec repetet certis munera temporibus.

25. *Idem.*

(2. Decembris, 1564., Posonii.)

Hespere, sic caelo semper tuus ardeat ignis,  
 Sic Triviam claro lumine vince deam,  
 Haec, tibi quae tacito loquitur Telayra labello,  
 Ne crede aeriis decipienda Notis,  
 5 Sed potius, reliquis si te unum praetulit astris,  
 Fac, primum cupido delur ut illa viro  
 Et dirae effugiens ius imperiumque novercae  
 Optato possit vivere coniugio.

26. *De Iano Pannonio episcopo Quinqueecclesiensi.*

(17. Ianuarii, 1565., Posonii.)

Iane pater, nostrum qui quondam primus ad Istrum  
 Duxisti Aonides ex Helicone deas,  
 Dum tua sic mecum tacitus monumenta revolve,  
 Sive elegos, pulchrum sive epigramma facis  
 Seu charas luges animas aut inclyta condis  
 Facta ducum aut Latio Dorica scripta refers,  
 Quicquid agis, fateor, veteres, ignoscite fasso,  
 Te facile antiquis vatibus esse parem.

27. *De Sancto Medardo.*

(8. Iunii, 1565., Viennae.)

Quod nulli in terram caderent e nubibus imbres,  
 Aruerat nimiis solibus ustus ager  
 Et, ne lenta seges rapido langueret ab aestu,  
 Agricolis sola spes erat in pluvia,  
 5 Cum bonus optato tellurem rore Medardus  
 Imbuit et largis arva rigavit aquis.  
 Quando igitur flavas producet messis aristas,  
 Solemnes illi rustica turba choros  
 Instituere cupidisque feret pia munera dextris,  
 10 Hunc quoties laetum viderit ire diem.

28. *Lusus pastoralis.*

(6. Augusti, 1565., Viennae.)

Nuda pedem et flavos per collum sparsa capillos  
 Lyriope, medio dum nitet axe dies,  
 Erras, vicinos incustodita per hortos  
 Hic, ubi candidula labitur amnis aqua,

- 5 Et modo lucidos flores, modo mitia carpens  
 Poma recurvatis tollis ab arboribus.  
 Saepe etiam metas ultra finesque recedens  
 Obscura solita es nocte redire domum.  
 Ut vidi, ut timui, ut quercu speculatus ab alta  
 10 Attonitus totus sensibus obstupui.  
 Ah, nimis incauta, ah nimium temeraria virgo,  
 Cur sola e proprio limine ferre pedem  
 Non dubitas? Quoties gelidus me concutit horror,  
 Ne te aliquis densa conditus in sylva  
 15 Abripiat praedo aut, niveos dum ex amne lapillos  
 Colligis, albatem mordeat hydra manum  
 Aut faetae occurras lanianda in montibus ursae?  
 Dii tamen in melius vertere cuncta velint.  
 Seu te igitur tanto imprudens ne crede periclo  
 20 Aut, si tam dubii gaudia ruris amas,  
 Me fidum comitem semper tibi iunge Menalcam,  
 Qui te indefessus, quo velis ire, sequar.  
 Tunc ausim pro te et rigidum contra ire leonem  
 Nec fugiam durae mille pericla necis.

29. *Idem.*

(19. Novembris, 1565., *Zigeth.*)

- Splendidior vitro Bacchoque salubrior unda,  
 Quam niveo omnipotens gurgite fundit humus,  
 O, quam te memorem, postquam mihi membra levasti,  
 Languida quae nimio facta fuere mero.  
 Unde tibi, quoties ventura recurrerit aestas  
 (Nam modo me hoc fungi munere bruma vetat),  
 Purpureos spargam flores ripamque recenti  
 Fronde tegam, ne almas aestus hiulcet aquas,  
 At tu semper eas lene salientibus undis  
 10 Et bene Paeonia membra levabis ope.

30. *Ad Nicolaum Telegdinum lectorem et Stephanum Radetium  
 praepositum et canonicos ecclesiae Strigoniensis.*

(25. Ianuarii, 1566., *Tirnaviae.*)

- Salvete unanimis boni sodales  
 Et dulci mihi melle dulciores,  
 Telegdine venuste et o meorum  
 Censor candide carminum Radeti.  
 5 Ambo haud illepidi haud inelegantes,  
 Sed digni innumerabiles per annos,  
 Digni secula vivere ad trecenta.  
 Quid rerum geritis, iacet sub alta  
 Dum tellus nive, cuncta dum rigentem  
 10 Horrescunt hyemem asperumque frigus,  
 Ventorum rabiem et malas procellas,

Quae fundo maria eruunt ab imo et  
 Astrictos glacie morantur amnes?  
 Quid rerum geritis? Sequine divum  
 15 Vos leges studiumque literarum  
 Noctes atque dies iuvat sacrarum  
 Et libros terere elegantiores  
 Augustini, Hieronymi Bedaeque  
 Et qui os sacrum habet aureamque linguam  
 20 Aut curis animo procul fugatis  
 Interdum facili otio vacare  
 Et cum simiola lubet iocari,  
 Turpi simiola, sed eleganti,  
 Quae nunc saltitat huc levis, modo illuc  
 Et vestros imitatur apta gestus?  
 At, quidcunque agitis, rogat sodalis,  
 Vester fidus et integer sodalis,  
 Ut sui memores frequenter este,  
 Seu libros legitis laboriosos  
 Seu curis animo procul fugatis  
 Parvam ludere simiam iubetis.

*31. De Sebastiano Tinody.*

*(4. Maii, 1566., Tirnaviae.)*

Pannonici heroes, quos Mars atque inclyta virtus  
 Astris beatos intulit,  
 Tantum Tinodio debetis, credite, vati,  
 Qui facta vestra concinit,  
 Quantum grandiloquo Pelides magnus Homero  
 Ajaxque debet scutifer,  
 Ille etenim facit, ut post invida fata libellis  
 Vivatis omnes in suis.

*32. Epitaphium Nicolai comitis de Zrinio,  
qui 8. die Septembris a. 1566. in Zighet a Turcis est interfectus.*

*(21. Novembris, 1566., Zagrabiae.)*

Pannoniae decus et patriae spes una ruentis  
 Nicoleos iacet hic, quem stirps Serrinia quondam  
 Clara armis ducibusque vagas in luminis oras  
 Protulit insignem bellis et Marte potentem.  
 Testis Dalmatiae littus testesque Triballi  
 Illyricique Dacaeque et ripa binominis Istri,  
 Sed quid hoc? Oceanus, latum qua terminat orbem,  
 Hic, dum crudeli Zighetum tutatur ab hoste,  
 Heu pietas, frontem traiectus glande serenam  
 Occubuit pugnans; caput a cervice revulsum  
 10 Turca ferox natis misit, qui deinde gementes  
 Illud marmoreo clausurunt rite sepulchro,  
 Caetera membra prius victor tumulaverat hostis.

Et licet extinctum diro sit vulnere corpus,  
 Factorum sed fama vicens ereptaque leto  
 15 Gloria venturis semper memorabitur annis,  
 Dum Sol ex alto terris radiabit Olympo.

33. *Epitaphium Ioannis Giulay.*

(18. Decembris, 1566., Vinice.)

Heu, Giulaine, iaces, prima defuncte iuventa,  
 Quamquam, si genus et formae praestantia posset  
 Aut iuvenile decus crudelia flectere fata,  
 Vincere longaevae debebas secula cervae.

34. *Ad Mathiam Ebeczky.*

(Calendis Ianuarii, 1567., Tirnaviae.)

Mathia, generis Ebecciani  
 Lux ingens, precor his novos Calendis  
 Iani, queis celer inchoatur annus,  
 Salubreis tibi prosperosque soles,  
 Immo secula tot, quot in profundo  
 Mari lucidulae latent arenae  
 Et quot sideribus polus relucet.  
 Nam te inter reliquos meos sodales  
 Semper, quod fateor, magis amavi,  
 10 Tum quod candidulum piumque pectus  
 Et mores placidos habes nec ipsi  
 Cedis. integritate Scipioni,  
 Tum quod saepe soles meos ineptos  
 Legendo haud minimi aestimare versus.  
 At, si charus ego tibi sodalis  
 Sum necdum ex animo tuo recessi,  
 Ne, rogo, grave sit tibi ac molestum  
 Ad me candidulum venire amicum  
 Extorrem patria, bonis domoque  
 20 Et quod mi magis est eritque semper,  
 Donec spiritus hos tenebit artus,  
 Funestum, lachrymabile atque acerbum,  
 Charo, proh dolor, optimoque fratre.  
 Hic me continuo obrutum dolore  
 Consolere elegis tuis disertis,  
 Queis nec Naso canat venustiores.

35. *Ad Pium quintum papam de cardinale Delphino.*

*Pasquillus rogatu Radetii.*

(Ultima Ianuarii, 1566., Viennae.)

Quinte pater, summi certissima cura tonantis,  
 Qui Tiberim et Romae maenia celsa tenes  
 Et qui sidereo ius hoc deducis Olympo  
 Ut, seu caelestes claudere quando vias



- Seu reserare velis, semper tibi pareat aether  
 Eque tuo tellus pendeat arbitrio,  
 Quinte pater, salve, longum tibi vivere tempus  
 Det bonus aurato Iuppiter in solio,  
 Es pius imprimis, quod monstrum immane marinum,  
 10 Qui de delphini nomine nomen habet,  
 Purpureo longe submotum exire senatu  
 Suffragii ablata qualibet arte iubes,  
 Quandoquidem ille tuae funestum est dedecus aulae,  
 Ille tui est ingens ordinis opprobrium,  
 15 Nam, seu iucundo dum lustrat lumine terras  
 Seu dum sol alto mergitur Oceano,  
 Invenies illum iuvenes ardere puellas  
 Turpiter et variis concubuisse modis.  
 Saepe etiam mares furtim, quod vidimus ipsi,  
 Proh pudor, invitos in sua vota trahit,  
 Cum famuli clausos servantes undique postes,  
 Obvia ad aspectus ne via quae pateat,  
 Illum Caesareis conficto nomine curis  
 Distringi atque tuas scribere res simulant.  
 O, si tunc miro se aperiret ianua casu,  
 Quantas Delphini panderet illecebras.  
 Adde huc deceptos mirandis artibus omnes,  
 Rebus in angustis a quibus aera petit.  
 Semper enim fraudemque dolum et periuria nectit,  
 30 Quin et Iudaeis non semel imposuit.  
 Cur alia hic memorem? nihil est tam immane nefandum,  
 Non ullum, quod non audeat ipse, malum.  
 Iure igitur summas tibi agit pro hoc munere grates  
 Relligio et sanctas sidera ad usque manus  
 35 Extollens petit, hoc monstrum deforme marinum  
 Ne patiari tuo vivere in imperio,  
 Sed vel confestim meritis interfice plagis,  
 Aut, si te pietas et tua vota movent,  
 Illum ad latrantem Scyllam Syrtesque releges,  
 40 Ut reliquum aetatis transigat omne suae  
 Inter delphinas interque immania cete,  
 A quibus et nomen progeniemque trahit.

36. *In Petrum Illicinum.*

(10. Februarii, 1567., Tirnaviae.)

- Parens supreme caelitus Diespiter,  
 Qui fulgur ardens et corusca fulmina  
 Tonante dextera concutis, quae tibi  
 Cudit Siculo Mulciber in fornacibus,  
 5 Quousque diram abominatamque hanc luam,  
 Istam execrandam funestamque belluam  
 Et hoc atrox oculis nostris spectaculum

Nostra morari sustines in patria  
 Aut quamdiu te sustinente, proh dolor,  
 Fax ista miseros enecabit Pannonēs?  
 Dico Illicinum insanientem hunc et levem  
 Rabulam, vetustae dedecus Etruriae.  
 Caput scelerum cunctorum inexpressibile,  
 Qui iam sepultis pallidior manibus  
<sup>15</sup> Et garrula loquacior hirundine  
 Poenoque longe fraudulentior truci  
 Meris clientes detinet fallaciis.  
 Nugatur, urget, distrahit, vexat, rapit  
 Lingua tribunal verberans inutili  
<sup>20</sup> Vanisque subsellia replens clamoribus,  
 Quos sibilantes dissiparent Africi.  
 Quapropter, o supreme caelitus pater,  
 Hoc turpe monstrum, quo nihil est turpius,  
 Ut horrido sternas, memento, fulcra  
 Aut devorandum trade terrae hiatibus,  
 Ut in profunda deturbatus Tartara,  
 Quas iam meretur, has statim paenas luat,  
 Namque ante saevos non timebit grex lupos,  
 Lepus molosso blandietur obvio,  
 Cervis leones accubabunt Punici.  
 Plaudebit albis milvius columbulis,  
 Natura rerum finietur omnium,  
 Quam iste efficaci paenitens scientia  
 Unquā velustis exuatur moribus.

## 37.

(17. Februarii, 1567, Tirnaviae.)

Fama, leveis quae cursu auras aviumque volatus  
 Fulminaque et ventos vincis Hyperboreos,  
 Pannonicas, age, quam primum conscende quadrigas,  
 Sic poteris solitis ocyor ire viis.

38. *Ad Georgium Drascovith episcopum Zagrabiensem.*

(Calendis Ianuarii, 1564., Posonii.)

Tu mihi, caelicolum non ultima cura Georgi,  
 Cui datur Illyricos fines et flumina Savi  
 Ac placidum Colapin et qua rigat arva Coranus,  
 Imperio regere et populis dare iura vetustis,  
 Carmen eris, tibi laeta neget quis carmina vates,  
 Quem sanctae Aonides et carminis autor Apollo  
 Et virgo ante alios Tritonia diligit omnes  
 Et cui laurigera nectunt de fronde coronam  
 Dique deaeque omnes, quibus et tu debita reddis  
<sup>10</sup> Munera et aeternos sacris operatus honores  
 Concelebras summis onerans altaria votis.

- Hic tibi sit tantum gratus labor. Altius olim  
 Evehar et laudesque tuas tuaque inclyta laetus  
 Facta canam, ut quondam te maenia celsa Tridenti  
 15 Concilio in magno et patres stupuere Latini  
 Orantem et magni pendentem iussa tonantis.  
 Nec plausus et vota hominum nec mille silebo  
 Gaudia Pannoniae nec quae tibi praemia Caesar  
 Addidit ac rarae tribuit virtutis honores.  
 20 Nunc tamen hos etiam, quamquam magis ardua longe  
 Te, fateor, deceant, haud aspernabere versus.  
 Namque ferunt, antiqua suas ubi Siscia turre  
 Attollit caelo et Savi vaga flumina lentus  
 Ingreditur Colapis tractuque Segestica longo  
 Insula tit veterumque altis hinc inde Quiritum  
 Reliquias late ostentat circumque supraque  
 Diversae volucrum voces et mitior aerae  
 Sibilus et vitreis invitant flumina lymphis,  
 Consedis deam, Illyricis quae praesidet oris,  
 30 Divina effigie et radiantis imagine Lunae  
 Conspicuam et superas maestam haec dixisse sub auras  
 Multa super charae queritantem funere gentis:  
 Nascitur et nostris tandem lux aurea terris,  
 Aurea candenti semper signanda lapillo,  
 35 Aurea venturis semper memoranda diebus,  
 Quam laeti iuvenes olim et chorus innuptarum  
 Et seri sublime ferant super astra nepotes  
 Alta coronantes festivis templa corymbis  
 Ac pia caelicolis statuentes vota quotannis,  
 40 Quandoquidem nobis caelo est demissus ab alto  
 Egregius praesul, quem virtus fasque piumque  
 Et recti praeclarus amor verique cupido  
 Laetaque purpureis sequitur Victoria pennis.  
 Aspicite, o comites, namque illius undique divae  
 45 Circumstant latus et Nymphae comitantur euntem,  
 Praesulis adventu quantum nemus omne recenti  
 Fronde viret quantumque novos terra colores  
 Summittit gremio et lymphis salientibus undae  
 Laetantur passim et placidus laevum intonat aether.  
 50 Hoc duce, spero equidem, nisi mens mihi fallitur, oris  
 Illyricis priscumque decus laudisque vetustae  
 Gloria et omnigenae virtutis fama resurget.  
 Hic etiam optatos crudeli ex hoste triumphos  
 Victor aget, veluti superi bona signa dedere,  
 55 Nuper cum truculentum hostem fera bella cientem  
 Contudit et Turcas istis avertit ab oris  
 Omine firmato, quorum dira agmina et ipsos  
 Perdomuitque duces vinclisque et carcere frenans,  
 Impia ne posthac repararent bella, coegit.

Ter voluit gens dira acceptam reddere cladem,  
 Ter compressa dedit multas cum sanguine paenas.  
 Pro quibus officiis vos illi in sede piorum  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!

Hic sacras leges, summi mandata tonantis,

65 Quo sine nullum unquam potis est mortalibus aegris  
 Esse bonum aut animis quicquam superabile nostris,  
 Edocuit ritus dicens servansque priores  
 Et longe a populis nunc ortae semina fraudis  
 Depulit, utque suum pastor custodit ovile,  
 Ne lupus incauto struat insidias armento,  
 Sic iste aetherio populos in faedere servat.

Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!

Quid referam, ut prima florens aetate iuventae  
 Urbem Antenoream, vitreo quam flumine circum  
 Medoacus cingit, Phaebo comitante petivit,  
 Quae nunc Ausonias tantum supereminet urbes,  
 Nocte silente ignes quantum vaga Luna minores?  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!

Namque illic Tritonis, Hera Aonidesque Camaenae  
 Auricomusque suas sedes defixit Apollo;  
 Assiduus illic studiis operata iuventus  
 Sacra coronatur Daphneide tempora lauro  
 Ornamenta sui capiens haud vana laboris.  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!

Tunc illum eventus varios atque abdita rerum,  
 Arcanos pelagi motus atque omniparentis  
 Naturae astrorumque vias caelique meatus  
 Condocuere novem immortalis voce sorores.

Ipsa sed ante alias pulcherrima Calliopea

90 Praenoscens docilemque animum sensusque latentes  
 Et Phaebi ambrosium nectens ex arbore sertum  
 Velavit placidum iuveni caput et tibi dixit:

Ista, meae comites, iam nunc dant praemia Musae.

Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!

95 Et tibi successus faustos reditumque per Alpeis

Spondent felicem, patrios attingere fines

Ne dubita et charis dabitur considerare terris.

Ipse etiam magni Caesar cura unica Olympi,

Qua late vastos pandit Germania fines

100 Hercyniique iacent saltus atque amne bicorni

Urbesque populosque rigat vagus undique Rhenus,

Excipiet te hilaris et tecum seria mille

Curarumque simul magnas tractabit habenas.

Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!

105 Neve tuam rerum fluctus atque aspera mentem

Plurima debilitent, vires roburque ministrans

Ipsa adero et facilem praesenti numine ducam.

- Tum nudaе Charites nigrique nepos Atlantis  
 Almaque iucundum afflabit Cytherea decorem.  
 110 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!  
 Oceano velut in magno si quando coorta est  
 Tempestas saevitque horrendis flatibus Auster  
 Et ferus iratum diverberat Africus aequor,  
 Una Aquilo charae securus Orithyiae  
 115 Torquet agens saevos ipsa usque ad sidera fluctus,  
 Tum nimbi pluviaeque et mixtum turbine fulmen  
 Ingeminant, miseris nec iam spes ardua nautis  
 Ulla manet dirumque ferox letum unda minatur:  
 Talis erat facies atque haec pereuntis imago  
 120 Illyrici, in nostris saevirent dum urbibus hostes.  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!  
 Ast, ubi caeruleo placidos e gurgite vultus  
 Neptunus pater exeruit saevumque tridentem  
 Arripiens ortas caepit sedare procellas,  
 125 Tum venti posuere minas atque aequora late  
 Tuta silent vastique residunt undique fluctus  
 Et vela implerunt aurae Iovis inspirantes  
 Mitius ac laetis surgit spes ardua nautis,  
 Adventu sic nostra tuo se nomina tollunt  
 130 Nec dubie redit hostilis fuga certa pericli.  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!  
 Unde tibi Pario ponet de marmore signum  
 Posteritas semperque tuos celebrabit honores  
 Et varia instituet laeti certamina cursus,  
 135 In quibus ardentis iuvenes vestigia cervae  
 Et vaga praepetibus anteibunt flamina plantis.  
 Victor equum Thracem aut variatam murice vestem  
 Aut arcum pharetramque et Gnosia spicula habebit.  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!  
 140 Salve, heros venerande, tibi sint mitia fata,  
 Purpureos tibi ver flores casiamque thymumque  
 Puniceasque rosas et candida lilia iactet  
 Et lenes spirent Zephyri nec mollior aestas  
 Desit et omnigenas pleno bona copia cornu  
 145 Fundat opes et temperie sol nutriat alma.  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!  
 Tum procul immites integro a corpore morbi  
 Languorque maciesque et tristi pallida vultu  
 Febris et indomitae facies truculenta podagrae  
 150 Diffugiant saevusque dolor diro exulet Orco,  
 Sed risus et mille ioci, sed grata voluptas  
 Laetaque iucundum pertentent gaudia pectus.  
 Texite perpetuam, pia numina, texite laurum!  
 At, postquam Dryades vel durae secula quercus  
 155 Et celeres longis cervos excesserit annis,

Quandoquidem nihil est istis durabile terris,  
 Verum alto quaerenda salus certissima Olympo est,  
 Vos illi tot pro officiis, pro munere tanto  
 Reddite perpetuam, pia numina, reddite vitam!

39. *Ad Ioannem Sambucum Pannonium.*

(24. Februarii, 1567., Tirnaviae.)

- Quod mihi Musarum dulces ante omnia faetus  
 Dignaque Pieriis carmina virginibus  
 Miseris, ut veterem his consolareris amicam,  
 Sambuce, o nostrae maxima pars animae,  
 5 Id mihi tam charum scito gratumque fuisse,  
 Quam solet aestatis tempore torridulae  
 Lympha viatori, quae dura frigida rupe  
 Prosilit atque homines alicit et pecudes  
 Defessos praebens gratissima pocula membris,  
 10 Dum nimis fervet solibus ustus ager.  
 Nam memoras prima repetens ab origine, quales  
 Quosque olim reges Pannonis ora habuit,  
 Qui fera praecipiti miscentes praelia dextra  
 Latum orbem forti perdomuere manu  
 15 Nec sua squallenti faedantes regna veterno  
 Sub iuga finitimos corripuere duces,  
 Atilaque imprimis, Scythico qui egressus ab orbe  
 Obvia quaeque suis perdidit agminibus  
 Iamque tibi iam, Roma, minas caedemque parabat  
 Atque sagittiferis arduus ibat equis,  
 Ut Scythica erueret Capitolia celsa bipenni  
 Et Tiberim Latio sanguine pollueret,  
 Cum pater ipse Leo caelu comitante deorum  
 Iratum a tantis regem inhibere malis  
 25 Praesentique urbem cupiens arcere periculo  
 Affuit et mites ore dedit gemitus:  
 Pone minas, rigidum, precor, Atila, pone furorem  
 Per caeli, obtestor, sidera, pone minas!  
 Si nescis, habitant istis pia numina templis,  
 30 In quibus magnorum rex superum colitur,  
 Nique redis, vides, ut strictum a tergo efferat ense  
 Hic nive Sithonia candidior iuvenis,  
 Quem pia de summo miserunt numina Olympo.  
 Haec ait. Ast illi continuo omnis abijt  
 35 Dilapsus furor, ut Zephyro vaga nubila flante  
 Pulsa solent auras diffugere in tenues.  
 Tum canis Andream in Solymos pia bella gerentem  
 Nostra Canopaeis agmina littoribus  
 Inferre atque tuos mirari, Nile, recessus  
 40 Et quae monstra tuis plurima gignis aquis.

- Tum canis Illyricis Ludovicum aliisque triumphis  
 Insignem Siculo ponere iura mari  
 Parthenopesque oras moderari et nobile regnum  
 Pulchraque campani culmina Pausilypi.  
 45 Nec retices divis olim immortalibus ortum  
 Mathiam, cuius sidera tangit honos  
 Et qui unus reges tantum supereminet omnes,  
 Quos habet haec aetas aut alia ulla habuit,  
 Quantum alios ignes nitidissima stella Diones  
 50 Aut dea nocturnis luminibus Trivia;  
 Namque ille haud sua contentus custode tueri  
 Et Salentinis misit opem populis,  
 Quos tunc indomito vexabant robore Turcae,  
 Aufide, qua sacram lambis lapygiam,  
 55 Cum flos Pannoniae Tyrrhenum classe per aequor  
 Invehitur fines, Hesperia alma, tuos,  
 Quique tuis hostis cervicibus impendebat,  
 Diffugere assuetas compulit in latebras.  
 Felix, Hercle, nimis, nimis es, Sambuce, beatus,  
 60 Cui procul a vulgi condicione levi  
 Et procul a gravibus virgo Rhamnusia curis  
 Otia praesenti numine tanta dedit,  
 Ut non Aonios tantum pote promere cantus,  
 Queis moriens dulci gutture cedat olor,  
 65 Paeonios sed enim succos herbasque salubres  
 Nosse dedit medicae Cynthus autor opis,  
 Quin etiam caelo interdum spatiaris in alto  
 Lustrans convexo sidera fixa polo,  
 Qua parte ensiferi niteat stella Orionis  
 70 Quaque Molorcheus proferat ora leo  
 Et qua prima vagis Argo se credidit undis  
 Solvens e curvis littoribus Pagasae.  
 Ast ego, quam diris fortunae fluctibus actus  
 Haeream et haec leto lux mihi sit gravior,  
 75 Te audivisse puto et nostro indoluisse dolore,  
 Namque mihi patrias barbarus hostis opes  
 Abstulit et cultis Turcae dominantur in agris  
 Carpentem nostra consita poma manu.  
 Adde, quod in muris atque obsidione Sigheti  
 80 Mi vita longe charior atque anima  
 Interiit frater, cui primo in flore iuventae  
 Barbaricum, ah pietas, ferrum animam eripuit,  
 Unde mihi chari post tristia funera fratris  
 Pallida continuis ora madent lachrymis.  
 85 Sed, quae me atque illum has in luminis edidit auras,  
 Crudeles genitrix maesta vocat superos  
 Flens noctem atque diem et lachrymis tabescit in ipsis,  
 Ut iam illi in vixit nox tegat atra oculos,

- Et nulla admittens solamina se quoque votis  
<sup>90</sup> Posse mori aut fieri saxea vult Niobe,  
 Cui dulces olim natos Latonia proles  
 Fixisse hamatis fertur arundinibus:  
 Quid, Dictynna, facis? cur arcum intendis, Apollo?  
 Num vobis nati quid nocuere mei?  
<sup>95</sup> Vos ego si caeca contempsi perdita mente  
 Sique lacessita sumitis arma manu,  
 Me, me unam vestris, me solam occidite telis,  
 Insontes, eheu, perditte ne pueros.  
 Non haec turba nocens, nihil hi admisere; magis vos  
<sup>100</sup> Orarunt Phrygio saepius in Sipylo.  
 Non tamen his aliisque deum mens irritata  
 Mansuescit scopulis surdior Adriacis,  
 At misera illa fero confixos vulnere natos  
 Aspiciens Parium transiit in lapidem  
<sup>105</sup> Et iam dura silex plorat tamen assiduasque  
 Marmoreo sudans ore ciet lachrymas.  
 Haec igitur, Sambuce, meas, quae est, cura medullas  
 Non sinit Aoniis mentem adhibere modis,  
 At tibi, qui potis es, cui et deus otia praebet,  
<sup>110</sup> Haereat ornandae dulcis amor patriae.  
 Sic tua apud seros fulgebit fama minores,  
 Obscuro rutilans ut Cynosura polo.

## 40. Psalmus XXIX.

· (Prima Octobris, 1567., Tirnaviae.)

- Rex hominum, divumque pater, qui luminis oras  
 Tellurisque marisque vias atque abdita solus  
 Aeterna dicione regis, quo pendet ab uno  
 Omniparens natura et lati exordia mundi,  
<sup>5</sup> Tene ego, sancte pater, non laeto ante omnia cantu  
 Carminibusque canam? tibi gratae nuncia mentis  
 Signa negem, qui me moribundum et membra trahentem  
 Vix aegra atque ipsis vix ossibus insistentem  
 Nuper ab obscuro revocasti limine leti?  
<sup>10</sup> Iamque mihi nocturna Hecate manesque profundi  
 Visendaeque silentum umbrae subeundaeque regna  
 Ditis erant, cum me tandem, pater optime, fessum  
 Aspicias et diae reddis mihi munera lucis,  
 Nec pateris, inimica meo quod funere turba  
<sup>15</sup> Rideat aut laeta testetur gaudia voce.  
 Quin vos, virginei caetus iuvenesque senesque,  
 Exercete choros atque una extollite mecum  
 Aethereum hunc hilares patrem, qui numine sancto  
 Sideraque et prima terras ab origine fecit.  
<sup>20</sup> Huic hymni et laudes et dulci tibia cantu  
 Conveniunt, nam mira eius clementia, mira est



- Et non deficiens pietas animusque benignus.  
 Immo etiam, iustas si quando exardet in iras,  
 Nonne breves aegris paenas mortalibus infert  
 25 Usque adeo, ut, si abiens illum Sol indignantem  
 Conspiciat, rediens mitem demonstret Eous.  
 Nam, si forte hominum leviori aliquando periclo  
 Corda petit, rursus cumulado id faenore reddit.  
 Verum ego, sancte pater, cum te mihi cuncta regente:  
 30 Tuta forent, victis florerent hostibus agri  
 Undique perque meas Pax aurea curreret urbes,  
 Uberior laetas proferret messis aristas,  
 Fertilis exciperet largam vindemia messem,  
 Has mecum imprudens nimium incautusque futuri  
 35 Ore dabam voces: solo sunt ista labore  
 Parta meo, propriis haec omnia viribus egi,  
 Nunc iam nulla pericla Lycaoniaeque procellae,  
 Nulla mihi officient discrimina, non ego densas  
 Exhorrebo acies, non ullis opprimar armis.  
 40 Talia iactabam atque tuae miracula dextrae  
 Humanae tribuebam arti humanisque repertis  
 Perditus atque amens et caeca mente ferebar,  
 Cum subito me invadis et ira percitus acri  
 Corripis elatum aversus mentemque superbam.  
 45 Extemplo turbati animi, mox omnia retro  
 Sublapsa in perus et me malus obruit Auster,  
 Ut solet Ionia deprensam in Syrte carinam.  
 Tum vero melior rediit sententia menti  
 Afflictusque miserque et tempestatibus actus  
 50 Condolui maestaque deum sic voce vocavi:  
 Quae tibi, sancte pater, veniet de sanguine nostro  
 Utilitas aut quid nunc me extinxisse nocentem  
 Profuerit rebus tumidum elatumque secundis?  
 Quod, si ego tam subito crudelibus inserar umbris,  
 55 Num tibi laeta canet restinctus carmina pulvis?  
 Num meritis tanto referet tibi pectore laudes?  
 Talia dicentem caelo pater almus ab alto  
 Aspexit placidamque preces admisit in aurem.  
 Tum vero miserans pro maesto gaudia luctu  
 60 Reddidit et lachrymis successit laeta voluptas  
 Et bene lugubres in candida vestimenta  
 Mutavit cultus niveumque reduxit amictum  
 Ostendens curas hominum studiumque laboremque  
 Instabilem, incertum et verae rationis egentem,  
 65 Ni pater omnipotens praesenti ea numine firmet.  
 Unde tibi aeternas tali pro munere grates  
 Reddere mens animusque meus non desinet unquam,  
 Dum vox incolumisque mihi dum vita manebit,  
 Nec nisi te nomenque tuum laudesque fatebor

- <sup>70</sup> Eximias, toto te pectore compellabo.  
Semper opem memor et semper tua numina supplex  
Nocte dieque colam et sanctum venerabor honorem.

## 41.

(10. Novembris, 1567., Viennae.)

- Praedata est mentem et cunctos mihi Lesbia sensus  
Et miseram arripuit pectore ab imo animam.  
Nil mirum, namque illa vago duo lumina amori  
Furata in frontem est ausa locare suam.  
<sup>5</sup> Sic caecus Veneris puer est, sic Lesbia flammās  
Ardentesque oculis torquet agens faculas,  
Queis si me aspiciat, mox ut Trinacria rupes  
Urar et in minimos dissoluatur cineres.

42. *Epitaphium Andreae de Bator,*  
*qui obiit in Deven 7. Octobris, 1566.*

(25. Novembris, 1567., Viennae.)

- Batoreum Andream nulli virtute secundum  
Ante suum extinxit dira podagra diem.  
Pannonia huc solum, quo se iactaret, habebat,  
Hunc etiam infensa fata tulere manu.

43. *Epitaphium Petri Erdeody,*  
*Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae bani.*

(6. Decembris, 1567., Posonii.)

- Dalmatiae Illyricique decus tutelaque regni,  
Petre, iaces, olim belloque insignis et armis,  
Nunc tantum cinis et minimus sine nomine pulvis.  
Saepe tuas classes, saepe et fulgentia signa  
<sup>5</sup> Crudelem in Turcam vitreos vexere per amnes  
Savusque Colapisque et amaeno flumine Dravus  
Vexere et partis exultavere triumphis.  
Sed nunc Illyricaeque urbes populique Liburni  
Orbati auxiliis et defensore carentes  
<sup>10</sup> Spemque decusque suum tecum interiisse queruntur.

## 44.

(1556., Venetiis.)

- Bacche, vinosus Xenophon inanem  
Quem cadum laetus tibi donat, illum  
Tu, rogat, sumas placide; nihil nunc  
Plus habet illo.

45. *Lusus pastoralis.*

(4. Ianuarii, 1570., Zentmichael.)

- Bruma, vides, riget et densis e nubibus alta  
Nix cadit, afflatu terra tremit Boreae,

Squalet ager, nemora alta silent volucresque feraeque  
Abditae in obscuris se retinent latebris.

- 5 Ast mihi verque novum et iucunda videbitur aestas  
Atque renascentis aura tepens Zephyri,  
Dum niveis me laeta fovet complexibus Aegle,  
Aegle Sithonia non minus alba nive.

46. *Idem.*

(4. Ianuarii, 1570., S. Michael.)

Aspicias, ut passim floret iucundior annus  
Et vario pictus gramine ridet ager,  
Ridet ager, nemora alta sonant hominesque ferasque  
Invitat placidi ruris ovans facies.

- 5 Ast ego tristem hyemem et miseros caligine nimbos  
Et brumam videor cernere terribilem,  
Dum me contemptam formosus negligit Alcon,  
Alcon aestivis nobilior violis.

47. *Psalmus CXIII.*

(20. Ianuarii, 1570., S. Michael.)

Vos innuptarum caetus puerique senesque,  
Quos iuvat aeterni laudes celebrare parentis,  
Huc, huc o properate citi mecumque canentes  
Tollite divinum, super aethera tollite, nomen,  
5 Quo nec amabilius mage nec laudabile quicquam  
Aspicit, Eoo vel cum, Sol, prodit ab ortu,  
Aureus, Hesperium vel cum se mergit in aequor.  
Tollite divinum, super aethera tollite, nomen!

Ille super populos longe excelsissimus omnes

- 10 Ius habet aeternum nec solas numine terras  
Torquet agens, quo vult, sed supra sidera Olympi,  
Supra anni Solisque vias, supra aequora ponti  
Pallentemque Erebum et Ditis crudelia regna  
Imperium sine fine tenet, sine fine tenebit.

- 15 Tollite divinum, super aethera tollite, nomen!

Anne aliquis tanto videatur percitus oestro,  
Usque adeo Eumenidum furiis agitatus, ut unquam  
Numine cum tanto infelix aequarier ausit,  
Quod non lapsuras turres ruituraque quondam

- 20 Castella aut Pariis fultum laqueare columnis  
Incolit humani monumenta caduca laboris,  
Sed caeli convexa habitat mansuraque semper  
Haec domus illius est, nullo debilis aevo?  
Tollite divinum, super aethera tollite, nomen!

- 25 Sedibus ex illis pater optimus omnia late  
Lustrat et, in terris humilem si forte virum quem  
Viderit, hunc quamvis inopem et rerum omnium egeum  
Protinus ad summos ex imo pulvere honores

Eriget et procerum sublimi in sede locabit.

30 Tollite divinum, super aethera tollite, nomen!

Quin etiam sterilis miseratus vota puellae,

Quae flens in vacuo degebat maesta cubili,

Dulcia fecundi largitur pignora lecti

Et pulchram sobolem et charos dat habere nepotes.

35 Illa videns parvam circum se ludere turbam

Gaudet et ingenti perculsa applaudit amore.

Tollite divinum, super aethera tollite, nomen!

48. *Epitaphium Stephani Dobo de Ruzka  
olim vaivodae Transsylvani, qui obiit 10. Iulii, 1573.*

Hoc tumulo Stephanum clausurunt fata Dobonem,

Qui quondam Turcas a vestris, Agria, muris

Reppulit insignemque ferens ex hoste triumphum

Extremam Ungaricis cladem procul egit ab oris.

Post Transsylvanas rexit praefectus habenas,

Hic, ubi diversos casus, diversa pericla

Sustinuit tandemque isthaec mortalia linquens

Conscendit caelum et claris modo vivit in astris.

49. *In tiliam mire pulchram, quae est Posonii  
in horto Radetii ac per eum Apollini consecrata.*

(Prima Octobris, 1570., in Nova Civitate Austriae.)

Hanc tiliam sparsis densantem umbracula ramis

Pierii fontis gloria Radetius,

Phaebe, tibi vatum caetu assistente piorum

Dedicat et sacram tempus in omne iubet.

Ipse sub hac laudesque tuas tuaque inclyta saepe

Facta canens laetus ferre per astra solet,

Ut medicam monstraris opem primusque repertor

Diceris insolitam concrepuisse lyram,

Straveris ut saevum auratis Pythona sagittis

10 Et Nioben durum verteris in silicem.

Aspice, convexo dum sic spatiaris in alto,

Arbor an in toto pulchra sit orbe magis;

Huic similem certe Alcinoi-Phaeacia tellus

Non tulit, Hesperidum nec vigil anguis habet.

15 Cedat huic myrtus fati haud ignara prioris,

Hirsutis, pinus, cede cacuminibus

Et quae flaventem foliis bicoloribus olim

Alcidae meruit nectere caesariem.

Atque adeo, si pace tua pote dicere, daphne

Non multum, quod huic anteferatur, habet.

Ergo, decus caeli, soboles Latonia, Phaebe,

Seu modo piniferi culmina Taygeti,

Intonsum aurato seu lustras Maenalon arcu

Sylvestresque iuvat sollicitare feras

- 25 Aut potius positoque arcu levibusque sagittis  
 Exerces sanctas Aonidum choreas  
 Seu Iovis accumbens mensis conviva supremi  
 Aeternum potas nectar et ambrosiam.  
 Quicquid agis, o sancte hominum servator Apollo,  
 30 Huc ades et votis annue supplicibus.  
 Annue et, ut cernis tiliam hanc tibi rite sacratam  
 Hinc atque hinc virides explicuisse comas,  
 Radetii sic fama tuo, fac, numine dextro  
 Tempus in omne magis floreat atque magis.  
 35 Tum pestem imitem, bella impia, bella famemque  
 In Turcam a nobis, eia, age, verte ferum.  
 Sic tibi perpetuae maneat vigor ille iuventae,  
 Sic faciem obscurant nubila nulla tuam.

50. *In discessu de Nova Civitate Austriae.*

(Prima. Novembris, 1570.)

Urbs Nova, perpetuo gelidas quae respicis Alpeis,  
 Nec Cereri aut Baccho nec mihi grata, vale.

51. *Stephano Radetio episcopo Varadiensi,  
 camerae Ungaricae praefecto.*

(24. Iunii, 1571., in Baar.)

- Pieridum Phaebique decus dilectaque summi  
 Cura Iovis, laus innuptae praeclara Minervae,  
 Radeti, teneris aluit quem Phaebus ab annis  
 Et nitidam pulchrae Charites tribuere iuventam.  
 5 O, mihi Thespiades si tale in carmina robur  
 Annuerent Musae, quali post fata superstes  
 Vivit adhuc pius Aeneas et gloria Turni  
 Almaque Pelidae virtus et Martius Hector  
 Pergameaeque potens urbis eversor Ulysses  
 10 Et pulchrum Telamoniades decus Argivorum,  
 Tunc ego te solum canerem, te carmine fuscus  
 Sciret Arabs nostro, te nosceret ultima Thule  
 Atque coloratos tua fama volaret ad Indos:  
 Radetium Aethiopes et nigri Memnonis ora,  
 15 Radetium exoriens loqueretur et occiduus Sol.  
 Hoc quoque, quicquid in iis patriae turbisque periclisque  
 Arma inter media atque adversos mille labores  
 Nostra Camaena valet, quicquid nanciscitur otii,  
 Te celebrat laudesque tuas ad sidera tollit.  
 20 Nam, tibi dum variae concedunt otia curae,  
 Sint ea rara licet, tamen aut abscondita rerum  
 Scrutaris Triviaeque notas Phaebique labores  
 Aut animo divum repetis caelestia dona,  
 Ut quondam pater omnipotens mortalibus aegris  
 25 Progeniem ipse suam ex alto demisit Olympo,

- Qui generi humano superata morte salutem  
 Attulit et clausi limen patefecit Olympi  
 Nuncque super gentes longe excelsissimus omnes  
 Ius habet aeternum nec solas numine terras  
 30 Torquet agens, quo vult, sed supra sidera Olympi,  
 Supra anni Solisque vias, supra aequora ponti  
 Pallentemque Erebum et Ditis crudelia regna  
 Imperium sine fine tenet, sine fine tenebit.  
 Immo etiam interdum te formosissimus hortus  
 35 Excipit arboribusque animum delectat amoenis,  
 Quas inter tilia est densa viridissima fronde.  
 Intus habet tripodas et pulchra sedilia docta  
 Artificum fabricata manu, tum culmine subter  
 Sola sinu recipit numerosam concava turbam.  
 40 Hanc Musis sacram et sacram tibi, pulcher Apollo,  
 Radetius celebri vatū comitante caterva,  
 Dum nimium alterna pensat requiete laborem,  
 Ingreditur. Tu saepe comes, Sambuce, fuisti  
 Et nunc esse soles; nec abest Purchyrrhius atque  
 45 Nicasius, quibus ore loqui dat Musa rotundo,  
 Seu verbis sit opus Graiis seu forte Latinis,  
 Insuper et varias herbarum agnoscere vires  
 Languidulisque acres membris depellere morbos  
 Posse dedit Pythius medicinae inventor Apollo.  
 Hic ego, quam placido praestantes pectore vates  
 Hos aliosque colis, quorum non ultimus ipse es,  
 Cur sileam? Tua namque illis noctesque diesque  
 Limina panduntur nec te unquam praeside frustra  
 Vota tulere inopes, turpem aut timere repulsam.  
 Unde tuum nomen mansuris tradere chartis  
 Venturoque omnes cupiunt transmittere seculo  
 Ceu Maecenatis, quem Etruria iactat alumnū.  
 Ille licet fuerit Tyrrheno e sanguine regum  
 Editus et fulvi longe ditissimus auri,  
 60 Insuper immensi tractaverit orbis habenas,  
 Cum tamen hanc lucem moriens aurasque reliquit  
 Aetherias gelidoque recondidit ossa sepulchro,  
 Vilis et ignotus tellure iaceret in ima,  
 Ni foret aeterni celebratus laude Maronis.  
 65 Sic etiam Telamone satum expertemque timoris  
 Pelidem exiliumque vagi quis nosset Ulyssis,  
 Perpetuam nisi tamam illis peperisset Homerus  
 Carmine divino, quod post fera funera semper  
 Vivet et invita durabit morte superstes?  
 70 Tu quoque priscorum volvens monumenta virorum  
 Hosce duces sequeris et iam est tibi tanta facultas  
 Eloquii, tanta est ornatae copia linguae,  
 Ut, si carminibus sit opus certare Latinis,

Carmina grandiloquo facis haud indigna Marone,  
Libera sin tibi verba placent, tunc exprimis illum,  
Qui fortunatam dixit se consule Romam.

Quare, age, magnanimo pugnata a Caesare bella  
Aggredere et seris ea trade nepotibus atque  
Pannoniae extremos casus et mille pericla,  
<sup>80</sup> Praelia mille refer. Verum me plura volentem  
Coniugis aegrotae macies et dira phrenitis  
Scribere praepediunt nec ego tua tempora longo  
Iam sermone morer. Sed tu, vatum optime, nostri  
Vive memor nostrumque imo sub pectore fixum  
<sup>85</sup> Nomen habe, tibi qui non haec modo carmina tantum  
Qualiacunque cano, sed, si fors ulla requirat,  
Nec dubitem pro te charam profundere vitam.

52. *Epitaphium Georgii Thurii praefecti Canisiensis,  
qui per Turcas interfectus est prope villam Orozton 9. Aprilis, 1571.*  
(S. Michael.)

Militiae Martisque decus celeberrimus armis  
Thurius, heu, iacet hic Turcarum fraude peremptus,  
Par cui non Telamone satus nec fortis Achilles,  
Non fuit immanis domitor Tiryntius hydrae.

53. *Epitaphium Francisci Terek de Enningh,  
qui obiit Papae 13. Ianuarii, 1571.*  
(Viennae.)

Te, Francisce Terec, necopino funere raptum  
Ceu carum genitorem omnes uno ordine lugent  
Pannonii, tu namque acres avertere ab ipsis  
Turcarum populos, tu cladem et bella solebas.  
<sup>5</sup> Tu truculentum hostem Papae sub maenibus urbis  
Fudisti, tu nocturnum erexisse trophaeum  
Ausus es, aequoreis Balathonus qua fremit undis,  
Et iam te vita functum tua maxima virtus  
Inseruit caelo. Ast haec monumenta sepulchrumque  
<sup>10</sup> Arte laborato de marmore Barbara coniunx  
Condidit Orzaghae sobolis decus et tibi tristem  
Muneris extremi infelix persolvit honorem.

54. *Epitaphium Nicasii Ellebodii Casletani,  
qui obiit Posonii 4. Iunii, 1577. apud locumtenentem.*

Terrarum Oceanique vias arcanaque caeli  
Et quicquid rerum continet alma parens,  
Tum linguas omnes, Nicasi doctissime, noras  
Nec minus ut claris editus e Stagiris.  
Natura obstipuit, seque ut mage noscere posses,  
Te rapuit, sinibus occuluitque suis.

Heu, sic tu raptus! Sic nos te flemus adeptum  
Belgae, Germani, Pannonnes, Ausonii.

55. *Epitaphium Ioannis Listhii episcopi lauriensis et cancellarii,  
qui obiit Pragae quinta Martii, anno 1577.*

Martia Roma suum iacet super astra Catonem,  
Maeonides Pylii melliflua ora senis,  
Hos nobis unus referebat Listhius ambos  
Vel potius, si fas est dicere, maior erat.  
⁵ Illum praecipiti mors funere sustulit atra  
Pannoniam complex luctibus et gemitu.  
Quae nunc, ah, viduata suo Pylioque Catoneque  
Ut ratis in tumido fluctuat Oceano.

56. *Epitaphium Pauli filii,  
qui obiit 1581. in Baar ibique sepultus est.*

Tecum amor et charites, spes et solatia nostra,  
Palco, iacent. Sed sic tulit imperiosa potestas  
Fatorum, ut, quae te nobis pia solvere iusta  
Fas erat, haec maesti tibi reddimus ecce parentes.

57. a) *Iacobi Sannazarii.*

*De Veneris puero questa est Dictynna tonanti,  
Quod nimis illa puer promptus ad arma foret.  
Tum pater accito ostendens grave fulmen Amori,  
Hoc tibi, saeve puer, spicula franget, ait.  
⁵ Cui lascivus Amor motis haec reddidit alis:  
Quid, si iterum posito fulmine cygnus eris?*

57. *Id Graece.*

(1555., Patavii.)

*Μέμψατο τυτθὸν Ἔρωτά ποτ' Ἀρτεμις ἀστεροπητῇ,  
Ὡς κείνος μεμαῶς ἐστὶν ἐς ὄπλα λίαν.  
Τόφρα πατὴρ κληθέντι βαρὺν ἐπέδειξε κεραυνὸν  
X', Οὗτος διστόν, ἔφη, παῖ, σὸν ἀποσπεδάσει.  
⁵ Τῷ καὶ μείλιχος εἶπεν Ἔρως πτερὰ γοργὰ συνάρας·  
Θὲς σ' ἄπο τὴν βροντὴν καὶ πάλι κύκνος ἔση.*

58. *Hymnus in deiparam virginem.*

(20. Februarii, 1589., Bitomiae.)

Virgo, decus caeli, astrorum regina, pudoris  
Illaesī admiranda parens, plena omine fausto,  
Auricomus quam Sol radiis fulgentibus ambit  
Sub pedibusque tuis argentea Luna bicorni  
⁵ Vultu albet circumque caput vaga sidera cingunt  
Purpureum, cui consensu famulantur eodem  
Et superum chorus omnis et ipsius aequora ponti  
Terraque frugiferens atque aurae simplicis ignes.



- Te, dea, te summus divum pater atque hominum rex  
 Ante nurum sponsamque sibi delegerat ultro,  
 Quam iaceret vasti molem et fundamina mundi  
 Eque Chao densis lucem discerneret umbris.  
 Id vero veterum quondam praesagia vatum  
 Carminibus cecinere piis et pectore firmo  
 Venturam innocuam celebri de gente puellam,  
 Eximiam, insignem, quae virginitate manente  
 Partu edat facili magnum per secula regem.  
 Ergo aderat tempus, quod fati immobilis ordo  
 Priscaque non dubio tulerant oracula fine.  
 Tu, dea virgo, paris partuque infamia monstra,  
 Ditem Erebumque premis veramque invicta salutem  
 Restituis veterisque aboles vestigia noxae.  
 Obstupuit natura parens resolutaque sensit  
 Iura sui et tanto siluit sub pondere rerum  
 Attonitae similis miroque exterrita partu.  
 Post etiam immensos vitae aetatisque labores  
 Et tristes nati inferias iterumque sub auras  
 Viribus adductum propriis et tristia laetis  
 Mixta vides et, quae divino edixerat ore  
 Grandaevus Simeon iam iam ventura, ferendo  
 Exuperas tandemque isthaec mortalia linquens  
 Conscendis caelum aethereis comitata catervis,  
 Perpetuis ubi vernantem de floribus ipse  
 Omnipotens natusque tuus dat habere coronam,  
 Cui plane immenso nihil est aequale sub aevo.  
 Nunc vero ante alios omnes illustris Olympo,  
 Diva, nites lateque almos diffundis honores  
 Supra anni Solisque vias supra ardua caeli  
 Lumina nec spernens mortalia vota secundas.  
 Talia gratantur superi; fremit omnis Olympi  
 Caetus et aeterno grates sonat undique regi.  
 Nos etiam spatia ampla viae, tot regna, tot urbes  
 Emensi a patria ripisque binominis Istri  
 Sarmatiae ad fines, rigidum Septemque Trionem  
 Votorum memores tuaque ad delubra profecti,  
 Quae tibi Pannoniae quondam palatinus opimae  
 Divino monitu gelidos Aquilonis ad axes  
 Condiderat supplexque tuo donarat honori,  
 Adsumus en laudesque tibi carmenque dicamus,  
 Incomptum carmen, grati sed pignus amoris.  
 Tu dea, tu nostro praesens succurre labori  
 Et votis subscribe piis laetumque penates  
 Da reditum ad nostros. Tandem Hunnica regna tuaeque  
 Pannoniae populos et agrorum pinguis culta,  
 Quae nunc, heu, rabido populatur Turca furore,  
 Assere, namque potes irasque averte deorum.

59. *Divo Stanislao.*  
(5. Martii, 1589., Bitomiae.)

- Nam quae te Eumenides, quae dira agitavit Erinys,  
Impie rex? tantas quis te furor egit in iras,  
Qui patrem eximium nec quicquam tale merentem  
Ausus es e medio crudeli tollere caede
- 5 Et sontem dextram insonti scelerare cruore?  
At non ille tibi insidias non ulla parabat  
Instrumenta necis, facinus sed triste tyranni  
Ponere, sed vitae studium melioris et ipsis  
Parcere subiectis superosque timere iubebat,
- 10 Cum tu irritata crudelior ipse laena,  
Quae fremit amissos immani murmure scymnos,  
Illum operam dantem sacris arasque lenentem  
Ense ferox diro aggredieris fraudisque nefandae  
Ignarum, ah pietas, media inter tempora ferro
- 15 Dividis; ille piam exhalat cum sanguine vitam  
Exanimisque cadit. Sed non satiata tyranni est  
Efferata vis, artus etenim et pia membra minutas  
Dissipat in partes insultatque ore superbo  
Vociferans: I nunc et tete opponere regi  
Disce tuo. — At caeli aspiciens ex arce deum rex  
Truncatos hinc inde artus — mirabile dictu —  
Priscam in compagem coalescere iussit et ille  
Integer, ut quondam, multo tumultus honore est.
- Nec tamen hunc sceleris tanti enormisque piaculi
- 25 Autorem superesse diu voluere cruentum  
Numina; sic sceleri comites sunt undique Paenae.  
Quippe gravi pavidae mentis mox percitus oestro  
Sedibus incertis latuit rituque ferarum  
Antra per et sylvas et inaccessas convalles
- 30 Erravit vagus, exul, inops, contemptus, egenus  
Ipse suum cor edens, hominum commercia vitans  
Nec modo compertum cuiquam, quibus oris in oris.  
Quove loco infelix miserabile clausit aevum.
- At patris eximii resolutam corpore mentem
- 35 Aligeri iuvenes laetum Paeana canendo  
Exceptam nitida caeli in regione locarunt,  
Hic, ubi caelitibus divis magnoque tonanti  
Addita in aethereo fulget ceu Lucifer orbe  
Sauromatumque suorum animos et vota tuetur.
- 40 Haec ego Sarmaticas hospes delatus ad oras  
Hancque urbem veteris dictam de nomine Gracchi,  
Magne, tibi Aoniis numeris, Stanislave, canebam  
Virtutum admirans valida incrementa tuarum.  
Sed memor inde alios superaddam laudis honores.
- 45 Parietibusque sacris votivam ex aere tabellam,  
Quum nisi spe certa dabitur votisque potiri.

60. *Epitaphium coniugis meae Elisabetae Bot de Baina, quae obdormivit in arce Vinicze 20. Octobris, a. 1602., aetatis anno 58. minus mensibus duobus, diebus 10.*

Debueras superesse diu, mea dulcis Elisa,  
Tanta fides in te tanta fuit pietas.  
Sed, quia lex fati stat inevitabilis, eheu,  
Conderis hic; et ego mox tua fata sequar.

61. *Item in alio latere.*

Nicoleos iacet hic charae sociatus Elisae,  
Qui, ut placide vixere simul, simul ecce quiescunt  
Seque etiam post fata pio amplectuntur amore.

62. *Epitaphium Nicolai Tordae.*

Ista Sigismundi Tordae tegit urna cadaver,  
Ast, anima hinc quas in partes effugerit, utrum  
Sisyphium in tenebris saxum rotet an graveolentis  
Effigiem induerit capri, quis dicere possit?

63. *De quadam pictura.*

Qualis monstrorum domitor Tiryntius heros  
Omphaleo nevit pensa sub imperio,  
Talis Turca ferox alio non victus ab hoste,  
Aspice, faemineis vincitur obsequiis.

64.

Omnis, quae paret rationi, sana voluntas  
Profuit et rebus commoda vera dedit.  
Consilium praeceps nocuit turbatque bonas res,  
Cumque vides damnis dedecus atque malum,  
Saepe movet ratio, dissuadet prava voluntas  
Haecque rapax agitat non ratione bona.  
Ergo, age, quod ratio suadet tibi, sicque sequetur  
Finis, quem spectas, et decus inde feres.

65.

Gaude tu mediocritate semper;  
Hunc laudo medium locum tenere,  
Quo si quis potuit stetisse firmus,  
Vita hunc sic poterit diu manere  
Et vitam peraget decentiorem.  
Ergo, qui Clarias amant puellas  
Parnassoque sitim levant liquore,  
In cunctis medium tenere discant:  
Hoc summum faciet gradum tenere.

## 66.

Quem mala multa premunt atque exitialia bella  
Maestaque pauperies vexat et atra lues,  
Is repetat Nilum Latio nunc ore loquentem;  
Sentiet is subito commoda mille precum.

---

67. *De effigie Nicolai Olahi archiepiscopi ecclesiae Strigoniensis.*

Hos oculos, haec ora, comas talemque figuram  
Praesul Olahus habet, talis imago sua est.  
Dii facite, ut tali terras sub imagine multum  
Incolat et sero sidera summa petat.

---

68. *Epigramma funebre in mortem Georgii Bona.*

Te socio Italiam vidi; fructusque laborum  
In patria experti non simul imus? Abi.  
Non equidem invideo, me quod felicius alto  
Despectas solio. Cum volet hora, sequar.

## APPENDIX.

### Paulus Istvanffy.

#### 1. *Adriano Volphardo.*

Qui modo mendosus carieque erat obsitus atra,  
Paeonii Ianus gloria prima soli,  
Quique diu tineas (indignum!) pavit edaces,  
Comptior ecce tibi splendidiorque redit,  
5 Gestit et heroas invisere protinus urbis  
Adriacae, postes, magne Iacobe, tuos.  
O quot Marcelli figent huic oscula! grates  
O quantas referent, docte Adriane, tibi  
Nec te paeniteat pro tanto vate laboris  
10 Exhausti famae et consuluisse tuae:  
Indiga nullius virtus sudore paratur,  
Nominis hinc surgit gloria summa tui.

#### 2. *Ad lectorem.*

Si juvenum, Argivae matrem Iunonis ad aram  
Qui tulerant, superis grata fuit pietas  
Atque ii propterea caelesti sede locati,  
Nil mirum, Ianum si rapuere dii:  
5 Illi plaustra semel matris subiere, perenni  
Marcellos cantat carmine Pannonius.

#### 3. *Epitaphium Stephani Istvanffy.*

Stephanus Istvanffy iacet hoc in pulvere parvus,  
Martis amor fuerat militiaeque decus,  
Perfida quem Thomas Nadasdy fraude necavit,  
Dum ruit in patriae viscera latro suae;  
5 Et Zalay votis mage vult servire Ioannis,  
Quam patriis, legibus officio atque fide.

---

### Franciscus Theuke.

#### 4. *Epitaphium Pauli Istvanffy.*

Eximii parvo recubant hoc membra sepulchro  
Pauli, cui virtus stemmate maior erat.  
Maiorum clarus magnis virtutibus ipse  
Plus tamen ingenii dotibus emicuit.  
Hic gravis, hic prudens, hic integritatis amator,  
Hic sanctae cultor religionis erat,  
Hic a consiliis regi servibat honeste  
Inter tot procures optimus ingenio.

Huic tamen haudquaquam potuit mors dira nocere,  
Tutus enim scuto est, quod gerit alma fides.

*5. In mortem virginis Elisabethae,  
Pauli Istvanffy filiae epitaphium.*

Concidit hoc tumulo pia te, Elisabetha, parentis  
Cura, obitu quae iam est languida facta tuo.  
Chara deo fueras, fueras quoque utrique parenti,  
Fratribus et cunctis spesque decusque tuis.  
Nam mores, virtus forma comitata pudica  
In te fulserunt virgine digna bona,  
Aeternae partae per Christum certa salutis  
Liquisti terras regna superna patens.

*6. Elisabetha matrem obitu suo maerentem consolatur.*

O lachrymosa parens, quid me tibi plangis ademptum?  
Sum defuncta malis, vivo beata deo.  
Vivimus hic omnes, quos gloria contegit almi  
Caelorum regis, turba trophaea canens.  
An fortasse doles felici sede receptam?  
An tibi iam videor deteriore loco?  
Non est invidiae, non est maeroris acerbi  
Nec desiderii post monumenta locus.  
Nil prosunt lachrymae, sed possunt plura nocere  
Taeoque afficiunt turbida corda metu.  
Linque graves igitur gemitus et pone querelas,  
Namque ego in Abrahae vivo beata sinu.

**Gabriel Zentgeurgius.**

*7. In mortem Pauli Istvanffy epicedium.*

Cernere si quis erat Pylios dignissimus annos,  
Longa vel Hebraei secla videre senis,  
Sorte etiam Istvanffy merito numerandus in ista  
Nec dubie multis anteferendus erat.  
Non quod nobilibus proavis sua stemmata traxit  
Et claram longa posteritate domum,  
Sed quod eas artes puerilibus hauserat annis,  
Quae celebres titulos addere iure queunt.  
Quo Sol bis senos orbis convertere cursus  
Assolet et caeptum carpere rursus iter,  
Hoc spatio Istvanffy Patavina dicitur urbe  
Ingenium studiis excoluisse bonis  
Ac didicisse prius famulas industrius artes,  
Fervidus et linguas consociasse duas.  
Post cito divitias animo cumulare pudicas,  
Condere et ingenuas pectore caepit opes,  
Nec tantum occultas naturae quaerere vires,  
Quur varias subeant corpora cuncta vices,  
Corpora sed studuit pariter caelestia nosse,  
Quos teneant axes, quam teneantque viam,  
Quo quodvis spatio proprium percenseat orbem,  
Quam mittant et in haec inferiora luem,  
Quur multos Hyades imbres ex aethere fundant,  
Quur nimio Sirius torreat igne solum,  
Quae ratio a nobis Phaebum discedere cogat  
Longius et solitam mox reparare viam,  
Aurea quid variet toties sua cornua Phaebe  
Et modo deliteat, luceat ipsa modo

Quurque dies fiant interdum noctibus aequi,  
 30 Nunc nox augmentum, nunc capiatque dies,  
 Quid generet noctu flagrantem aethere flammam,  
 Quid, quae spectamus plurima visa polo.  
 Vixdum Aries Phaebum quinto in sua tecta vocarat,  
 Iam Paulus tantas mente tenebat opes,  
 35 Quas quamvis animo decus est comprehendere summum,  
 Divinae ac mentis pignora clara refert,  
 Non tamen hoc Paulus potuit consistere cursu,  
 Tam vehemens studii pectore flamma fuit,  
 Sed caepit sensim sacratas discere leges,  
 Posset ut his patriae consuluisse suae.  
 Sit satis argutas, inquit, coluisse sophorum  
 Hactenus immensa commoditate scholas,  
 Vos quoque formantes teneras, mea numina, mentes  
 (Est via longa mihi), quaeso, valet, deae.  
 Tempus erat, quo me cupidus fovistis in ulnis  
 Pavistisque animum dulcibus usque sonis.  
 Atque ea sint nobis propriae oblectamina mentis,  
 Nunc, quae aliis prosint, aggredienda mihi.  
 Aggredienda mihi salebroso tramite iura  
 50 Et duro legum calle petenda via est.  
 Nam solae hae faciunt firmatas maenibus urbes  
 Munera tranquillae pacis habere diu,  
 Solae, ne regnet passim violentia, praebent,  
 Neve inopis dives vilia tecta premat.  
 His dato, quod patrium subigat securus agellum  
 Agricola et campis languida membra levat,  
 Hae remonent fraudes, remonent hae turpia facta,  
 Hae cunctos homines iusque piumque docent.  
 His quondam et nobis patriae inservire licebit,  
 Si tantum caeptis faverit ipse deus.  
 Proposito hoc Paulus divinas noscere leges  
 Arsit et optatum contigit ille suum.  
 Nec tumidos Latio rediens in pectore flatus  
 Gessit nec fastum praetulit ore gravem,  
 Sed moderans vultus blanda gravitate modestos  
 Sermoni quovis tempore promptus erat.  
 Vultus et acta aetas addebant pondera rebus  
 Quique erat in placido plurimus ore lepos.  
 Quam pulchre seriem prisci memorare solebat  
 Temporis et varias saepius orbe vices,  
 Perpetuo vasto fuerint quot in orbe monarchae  
 Cogentes reliquos sub sua sceptris duces,  
 Principio coetus mundi quo cardine vixit  
 Syncera noscens religione deum,  
 Post varias orbis varie dispersus in oras  
 Quos hydrae morsus, vulnera quanta tulit?  
 Nunquam adeo pressum tamen, ut non aethere semper  
 Miserit auxilium praesidiumque deus.  
 Quam misere Pharium quondam hunc retinere volentem  
 (Vera cano) Rubri presserit unda salis.  
 Angelus affecit Syrium qua clade tyrannum,  
 Dum Solymas bellum cingeret ille gravi.  
 Denique quam claros reges opulentaque regna  
 Vertit, dum proprios vindicat ipse deus.  
 Haec tam divinae sublimia munera mentis  
 Cum quovis hominum digna favore forent,  
 Plurima Fernando pariter monumenta probasset,  
 Secretis voluit mox adhibere suis.

Sedulus hic etiam regi servire studebat  
 90 Praeclaram monstrans cuncta per acta fidem.  
 Impete quo carpsit vanissima dogmata mundi,  
 Quae verae impediunt relligionis iter?  
 O quam nutantem patriam fulcire cupivit  
 Et res afflictas restituere loco?  
 Longius et Paulo si vivere fata dedissent,  
 Plura suae mentis iam documenta daret.  
 Perpetuum ast vobis studium est, fera numina, Parcae,  
 Tollere, quae semper vivere digna forent.  
 Occupat at quorum torpens ignavia mentes,  
 100 Fallaci illorum ducitis arte dies.  
 Ut mundo tantum vos invidisse putemus,  
 Quae mage florerent, carpere et ante diem.  
 Nunc magis hoc Paulum nobis maeremus ademptum,  
 Tempora quod similes rarius ista ferunt.  
 Sed, quia fatorum est ius inviolabile durum  
 Nec precibus mortis solvere vincla potes,  
 Quisquis virtutis studium complecteris ultro,  
 Dic p'acide, ut Pauli molliter ossa cubent.

8. *In immaturum obitum virginis Elisabethae Istvanffy.*

Vix suum Paulus properante fato  
 Clauserat tempus, pariter secuta est  
 Filia optatum generosa patrem  
 Elisabetha,

Virgo non tantum niveo pudore,  
 Sed simul praestans pietate vera,  
 Dona quae mentis decorabat ingens  
 Oris honestas,

Sive tu spectes faciem venustam  
 Seu genas fusas roseo rubore,  
 Lumina aut praesens Charopo pudica  
 Tincta colore.

Hac in ornanda Venerem deasque  
 Diceres vires sociasse cunctas,  
 Prodere et quantum propria valerent  
 Arte cupisse.

Non tamen pulchra est tumefacta forma  
 Nec graves fastus animo hinc recepit,  
 Quin leves mundi magis illecebras  
 Temnere caepit.

O pater summum moderans Olympum,  
 Da, precor, charum liceat parentem  
 Subsequi, dixit, numero et piorum  
 Consociari.

Quo tibi tandem positus queamus  
 Corporum iungi vitiis fruique  
 Caelitum donis, simul et beato  
 Nectare tecum.

Vita nil praesens tibi quod probetur,  
 Haec habet, quin te vitiis nefandis  
 In sui invitum trahit usque paenam  
 Crimine plena,



Ut putem non tot pelago natat  
 Monstra nec fluctus Adria aestuare,  
 Quot malis mundus tua fine nullo  
 Numina laedit.

Quid feram pestem variosque dicam  
 Martios fluctus, scelestum piaculum,  
 Quae premunt nostram misere perenni  
 Ordine vitam?

Quae mala ut possim fugere et labantis  
 Mundi opes alta superare mente,  
 Tu meam gratans animam sereno  
 Accipe caelo.

*9. In insignia Pauli Istvanffy.*

Altilem Iovis unguibus coronam  
 Calcantem nitidam trucique rostro  
 Mucronem medium nimis prementem  
 Marginem colubro ambiente scuti  
 Paulinae domui dedere prisci  
 Reges Pannoniae in perenne pignus  
 Virtutis nimioque comparati  
 Gestamen decoris cruore quondam.

**Ioannes Sambucus.**

*10. Ad Nicolaum Istvanffy.*

*Cedendum, sed non adulandum.*

Fatali et gravibus premitur quando leo morbis,  
 Simia proicitur: Haec medicina mali est.  
 Invidia afflicto, scelerata et mente tyrannos  
 Cur non sic ludas simiolaque leves?  
 Haec simulat cuncta atque imitatur, ludere novit;  
 Hoc morbo aegrotis convenit ista fames.  
 Sed tamen his ultra metam placuisse caveto,  
 Pestis, adulator morsque inimica siet.  
 Aulas dum sequeris, ne te pervertat abusus,  
 Sit tenuisque licet, sed bona, simplicitas.

**10. a) Versum in Franco-Gallicum.**

*Alors que le lion est pris de maladie  
 On luy apporte un singe afin de le guarir :  
 Que pleust or à mon Dieu qu'à l'audace et l'enuie  
 Des tyrans en ce point l'on peust bien secourir.  
 Le singe contre-fait tout cela qu'il void faire,  
 Et en ce point il peut aux malades complaire.  
 Mais il se faut garder de passer la mesure,  
 Car ce seroit flatter et rien ne peut on voir  
 Plus approchant de mort qu'un flatteur recevoir  
 Qui tousiours entreprend, encore qu'il endure.  
 Il se faut donc garder qu'en la court des signeurs  
 Un si meschant abus n'entre dedans les coeurs.*

**Mathias Ebeczky.***11. Nicolao Istvanffy.*

Ut te, magne dei vates, ter maximus orbis  
 Caesar ab arcanis comperit esse lovis,  
 Aemulus in superos tibi sic est ore locutus:  
 Noster ab arcanis et lovis unus eris.

---

**Thomas Balasffy.***12. Ad Nicolaum Istvanffy.*

Historiis cumulas patriae, vir maxime, libros  
 Nec nisi perpetuis digna agis historiis.  
 Tu patriae, illa tuis implebit secula factis,  
 Tu patriae, illa tuis vivet in historiis.

*13 Ad eundem.*

Et potes et, quamcunque potes, perquire salutem,  
 Et scis et, quam scis, Hungariae affer opem.  
 Sic utramque feres, tua si monumenta tenebris  
 Eruta mox orbi conspicienda dabis.  
 Tunc irata dabunt tumidus quoque murmura Nilus  
 Et Vaticanis invidus Arnus aquis.  
 Gloria Pannonico est postquam vicinior Istro,  
 Essene cum Tiberi, Roma superba, potes?

---

**Nicasius Ellebedius Casletanus.**

14. Archiducibus Rudolpho et Ernesto  
 ex Hispania reversis. 1571.

*Quales per mare turgidum  
 Iactatis rapido turbine navitis  
 Multa vix domiti prece  
 Affulgent gemini lucida sidera,*

*Tales rebus in asperis  
 Illuxere diis rite faventibus  
 Fratres Austriaci duo  
 Quassae Pannoniae certa salus suae.*

*Nam sic flagitat indoles,  
 Sic a Caesaribus ducta potentibus  
 Virtus et genus inclytum,  
 Velox fama tulit quod super aethera.*

*At laetare bonis tuis,  
 Felix Pannonia, atque, ut tibi principes  
 Servent incolumes tuos,  
 Urgeto superos assidua prece.*

## ANNOTATIONES CRITICAE.

Nota codicis A, si carmen solo eo codice continetur, non memoratur. — *corr.*: correctione, correctum — *del.*: deletum — *marg.*: marginalis, margine — *om.*: omisum — *ras.*: rasura — *s.*: sive — *scr.*: scripsit, scriptum — *s. m.*: secunda manus — *tit.*: titulus — *v* vide

